HARMONIA

SVPERIORIS NATVRÆ MVNDI ET INFERIORIS; vnà cum admirabili fœdere & ſympatheia rerũ vtriuſq;. Quibus annectuntur Paradoxa doctrinæ cœleſti accommoda.

ANTONIO MIZALDO MONLVCIENSI, MEDICO & Mathematico, Autore.



PARISIIS,
Ex Officina Federici Morelli
Typographi Regij.
1577.
CVM PRIVILEGIO.

VIRO ERVDITO, ET STVDIOSORVM FAVTORI eximio, FRANCISCO COMITI, Supplicum Libellorum in Regia Magistro, ANTONIVS MIZALDVS S. P. D.

CONSTAT *Alexandri sæculum, Vir spectatissime, cùm artificibus eximiis, tum præclaris & eruditis hominibus celebre admodum & sanéquam fœlix fuisse. Quod non tam Alexandri fortunæ, vt tradit Plutarchus, quàm hominum illorum habendum est: quibus contigerit testem arbitrúmque nancisci, non*

sòlùm [illegible]cri inge[illegible] [illegible]ſtimanda artium & doctrinar[illegible] [illegible]a, ſed e[illegible]iã manu prompta & [illegible]cu[illegible] [illegible]peditandis opibus ad maxim[illegible] quæ[illegible] operæprecia illico perſol[illegible]nda. Cæter[illegible]m, cùm annis poſt eum aliquot [illegible]Archeſtratus poëta adprimè [illegible]nuſ[illegible] [illegible] multa inopia ſeneſceret, fertur quidam ad eum dixiſſe: Næ, ſi Alexandri contemporaneus fuiſſes, ille tibi in ſingulos verſus Cyprũ, aut Phœniciam perlibenter dediſſet. Equidem exiſtimo, Vir clariſſime, eorum qui tum fuerunt, præſtantiſſimum quemque, non tam ſub Alexandri tempora, quàm propter liberaliſſimum Alexandrum extitiſſe. Vt enim fruges, aëris temperie & propicio Sole facillimè ſurgunt, breuiter florent & longè, latéque exuberant, ita bonæ artes, & præclara ingenia, Principum magnatúmque fauore, benignitate & liberalitate perſacilè emergunt, ſtatim euocantur, & opportunè vigent: contrà,

eorum auaritia, sordibus & morositate, actutum defatigātur, cadunt, & extinguntur. Hæc, si aliàs vnquā locum habuerūt, tum maximè ingratissimo hocce nostro sæculo, cùm hîc, tum ali euidēter se produnt: in quo, ecquis, per deos immortales, non audit egregios artifices, & de Republ. ac literis optimè meritos homines, paßim ingemiscere & conqueri, quòd non solùm despecti iaceant, absque vllo operæ eorum precio, sed, quod dolendum magis, in summa inopia miserè consenescant? Quo fit, vt animū prorsus despondentes, illi, præstantia sua artificia, hi, scholasticas miserias, literariásque ærumnas, & temporis ante acti iacturam detestando, in hæc identidem gemebundi prorumpant verba,

» Ah, quorsum in studiis, miseri, consumpsimus æuum!
» Sunt Musæ mulæ, nostráque fama fames.

Alios insuper videas, qui vel docendo, h·3

vel scribendo, & totâ vitâ aliis, more lucernæ, prælucendo: séque ob id paulatim, (nemine illis interim auxiliare oleũ exstillante) conficiendo, quòd nihil aliud hinc sibi comparauerint, quàm ex labore damnum, & de ærumnosa prouincia miserabile senium, lugubri acclamare voce,

» Pœnitet ingenij & studiorum, pœnitet artis,
» Pœnitet & vitæ, dum nobis nulla secundant
» Ex tot sideribus quot sunt in nocte serena.
» Heu, nõ est miseras qui hac tẽpestate Camœnas
» Aspiciens foueat. virtus laudatur & alget.

Nõnullos denique obseruare licet Mineruæ veteranos milites, qui cum Horatiano Veianio positis armis ad postem Herculis, cochleæ vitam agentes, literariam istam calamitatẽ non in præsentem laruam temporum, quin potius in persoatos hominum mores, auariciam, sordes, cõmodum proprium, & inuersum iudicium perappositè detorquent, præcipuè Principum, Antistitum, & magnatum quorũdam: apud quos equorum, canum,

auium

 h-h

auium, ludorum, indumentorum, ferculorum, parasitorum, & cuiusuis speciei ministrorum, ne quid peius dicam, potior est cura, quàm eorum qui de literis & Republ. bene, sanctéque sunt meriti, & quotidie accuratiùs mereri satagunt, nisi eorum nauiculæ, sic satis infirmæ, remoram obiiceret res angusta domi. Quod non animaduertunt prædiuites isti, tam aulici, quàm vrbani plerique, apud quos, ceu apud pergratos hospites,

» Perlautè viuit rudis, inuida, rustica turba,
» Mimus, adulator leuis, assentator ineptus,
» Scurra vagus: quibus est virtus odiosa, voluntq;
» Esse procul doctos: vt quando cadauera corui
» Inuenere, fugant alias volucrésque ferásque.

Hæ sunt, Vir ornatiss. hodiernæ doctorum & studiosorum hominum, excellentiúmque artificum querimoniæ, non dicam in hoc nostro climate, sed & in aliis passim, tametsi inanes & surdæ apud præpotentes & locupletes aliquot. In quorum ædibus & palatiis, ceu apud

aurificem illum Midam, rusticus & fistulator Pan, Arcadiæ & pecoris Arcadici deus, suauiùs canere censetur, quàm diuinus ille citharœdus Apollo. Ad huius plumæ homines si quando veniunt doctorum virorum lucubrationes, vix de titulo lectæ, illico ex oculis & manibus longè abiiciuntur: vt illis ipsis, vel Melitæum catulum, vel deformem simium, aut quid aliud, quod scribere nolo, sollicite aspiciant, cõtrectent, deosculentur, & summè probent: nulla interim oblatarum lucubrationum & autorum habita ratione, & laborum æstimatione: Tantùm abest, vt quidpiã, seu paruum, seu magnum illud fuerit, in subsidium vitæ & studiorum libenter ac placidè offerant. Quod Antigoni senioris exemplo facere mihi videntur: à quo, dum philosophus quidam drachmam peteret ad victum sibi comparandum: Non est, inquit, Regum dare drachmã. Cùm verò

ille

ille idem philoſophus ſubieciſſet, Ergo da mihi talentum; Non eſt, reſpõdit Antigonus, philoſophi accipere: & ita coruum deluſit hiantem: fecítque locum prouerbio, Magnates dare parua pudet, dare magna recuſant. Hæc dum audis, Vir prudẽtiß. ne, obſecro, putes te in huiuſcemodi hominũ theatro à me ob id includi velle. Quem, re vera, iam diu ſum expertus præſtanti eſſe ingenio, ſingulari eruditione, commendata liberalitate, & iudicio nõ ſolùm acri emunctoq́; ad æſtimanda lucubrationum tibi oblatarũ ſpecimina, ſed etiam, vt alter Alexãder, ad ſuppeditãda autoribus illarum non vulgaria ſubſidia. Quod dum expertus dico, nemini impono. Cùm itaque ſcirem multis nominibus me tibi deuinctum eſſe, nec in præſentiarum μνημόσυνον vllum tuorum erga me beneficiorum aliud haberem, quàm hocce Opuſculum de rerum cœli & mundi harmonia, fœdere &

ſympatheia (vtinam etiam hominum & animorum) viſum fuit illud, quale quale eſt, tibi nuncupare, & in tuo nomine foras proferre, tantiſper dum nos de te meliora canemus. Fœliciter vale, & nos, vt ſoles, amare perge. Lutetiæ, pridie B. Dionyſij, Galliarum Apoſtoli & martyris, anno virginei partus, 1576.

h-6

SVMMA EORVM QVÆ CONTINENTVR IN HOC Opuſculo de Harmonia cœli, & mundi, ac memorabili fœdere & ſympatheia rerum vtriuſque.

Capite Primo.

HARMONIAM *cœli & mundi, ſeu ſuperioris naturæ & inferioris, vnà cum ſympatheia & fœdere rerum vtriuſque, vel ruſticis hominibus ante oculos euidentiſſimè verſari, etiam ſi nihil tale cogitent, vel animaduertendū ſibi proponant. fol.1.& ſeq.*

Cap. II.

QVEM *vſum rebus terræ ex cœleſtium fœdere, & ſympatheia cum inferiore natura, præbeant nubes & earum ſocij venti. Vbi de figuris ac vario nubium colore & motu, admiranda. fol.3.& ſeq.*

Cap. III.

QVATVOR *anni cardines, ſeu tempora, vt vocant, à Sole & deſignatis ſideribus diſponi in vſum naturæ inferioris, ad eas rerum varietates promouendas, quas de cœleſtium harmonia & fœdere cum inferioribus, tempora illa quotannis exigere videntur. fol.4. & ſeq.*

Cap. IIII.

SIDERA *nequaquam ocioſa eſſe, nec ad ſolum Vniuerſi ornatum & ſpecioſum ſpectaculum, vt volunt Epicurei, creata: Adhæc, vim motricem & vitalem perpetuò diffundi à ſuperiore natura in inferiorem, ad ſin-*

Cap.

Cap. XI. vbi falsò scribitur XII. & ex eo numero series reliquorum Capitum consequenter procedit.

FOLIO XVI. pag. I. vbicunque scribitur Athenæus, lege Aelianus.

HABES *consequenter pulchrum & eruditum* Dialogum Erasmi Roterodami, *de varia rerum omnis generis sympatheia & antipatheia.*

PARADOXA RERVM cœli, hæc in summa tibi proponunt.

PARADOXO PRIMO.

Parad.

Parad. III.

Quòd circuli orbium Planetarum, lineæ item, & alia pleraque commentitia habeantur. Adhæc, quòd stellarum corpora perappositè sphærica & globosa censeantur. *fol.*11.& *seq.*

Parad. IIII.

*Quòd cœlum corruptibilium omnium qualitatum sit expers: & quonam modo stellæ sint dicendæ calidæ, frigidæ, humidæ, vel siccæ: & alia pleraque. fol.*14. & *seq.*

Parad. V.

Stellas de radiorum reflexione sursum facta, vt quibusdam visum fuit, nullum calorem deorsum mittere: nec illarum qualitates iudicari verè posse à coloribus quos præ se ferre existimantur. Vbi multa notatu digna percurruntur. *fol.*19.& *seq.*

Parad. VI.

Nec temerè nec fabulosè à priscis indita esse nomina Planetis & cœlestibus signis, seu asterismis: Quæ nomina, etiam in hunc vsque diem & retinentur & agnoscuntur. *fol.* 22. & *seq.*

Parad. VII.

Quòd cœlum in res inferioris naturæ quasi momento agat, & summè admiranda moliatur. Adhæc, stellarum radios etiam in durissima & densissima corpora illico deorsum penetrare, & hinc occultas rebus inferioris naturæ mundi facultates latenter afflare, & imprimere. *fol.*25.& *seq.*

Parad. VIII.

Rerum cœli cognitionem & vsum medicis ac medicæ arti plurimum conferre, magnúmque ægrotantibus auxilium præstare. *fol.*28.& *seq.*

Parad. IX.

Deum Opt. Max. totius Vniuersitatis cœli & mundi autorem & moderatorem, diuinitatis suæ semina vbique spargere: & per singulas mundi particulas, nedum in cœlo Planetis & stellis, relucere. fol.32. & seq.

HABES, *si videre iuuat, Encomiũ perpulchrum docti & periti rerum cœli Interpretis, Asclepiadeo Choriambico Monocωlo contextum, & annexum ad finem Cosmographiæ nostræ, quæ tota est de rebus Cœli, nimirum Circulis cœlestibus, Signis, Planetis, Asterismis seu imaginibus octauæ Sphæræ, & occultis aliis multis, quæ hinc pendent, & à Sphæræ cœli interpretibus omissa sunt.*

COELI

COELI ET TERRÆ, SEV SVPERIORIS NATVRÆ Mundi & inferioris, HARMONIA: vnà cum memorabili Sympatheîa rerum vtriusque.

ANTONIO MIZALDO MONLVCIENSI, MEDICO ET MATHEMATICO, AVTORE.

Harmoniam superioris naturæ mundi & inferioris, vnà cum sympathia rerum vtriusque, vel rusticis hominibus ante oculos euidentissimè versari: etiam si nihil tale cogitent.

CAPVT I.

PERCEPTIS iam olim & definitis temporibus conuersionum cœli & peragrationum stellarum à priscis illis primi sæculi patribus, constat, eos tum demum ad explorádas cœlestium corporum vireis, eorúmque harmoniam, initum fœdus & sympathiam cùm rebus naturæ infe-

Prisca Astronomiæ origo, doctrina & propagatio.

rioris,animũ ſedulò cõuertiſſe & intendiſſe. Quo ſcilicet modo & nodo, infima ſummis, & ſumma infimis deuincta cohærerent & conſentirent. Adhęc quo pacto vis illa motrix & rerum omniũ alumna, è cœlo in vniuerſum terrarum orbem, Deo auſpice, deriuaret à Sole primùm, deinde à Luna & reliquo cœleſtium luminũ choro. Quod vbi pedetentim aſſecuti eſſent, prælucente & viam præmonſtrante ἀϑεστράτῳ illo (qui, vt eſt apud ingenioſum poëtam Sulmonenſem,

Ouid. lib. 1. Μεταμορφωσ. & regius Propheta Pſalmo 146.

» *Dinumerat ſtellas, & earum nomina ſolus,*
» *Signa, poteſtates, curſus, loca, tempora nouit.*)

tantum beneficium, tamque eximium donum poſteritatem latêre noluerunt: quin potiùs, veluti per manus natorum in natos, & horum rurſus qui naſcerentur ab illis, in hæc vſque ſæcula, munere ſanequàm grato & optato deuolui, indubitatíſque notis omneis ex æquo noſſe voluerũt. Quamobrem, vigente adhuc lumine illo luminum & luminarium cœli, hodie, perinde atque olim, mirabile & memorabile illud cœli & terrę fœdus, harmonia & ſympathia, oculis ruſticorum hominum, nedum philoſophorum paſſim obuerſatur, manibus contrectatur, & omnium auribus, vt mox audies, facilè percipitur.

Euidẽtiſſima ſuperiorũ naturæ & inferiorũ Sympathia & fœdus.

Vidẽt in primis omnes Sole propiùs ad nos, ſub Veris tempora, accedente & aſcendẽte, quæ fuerant hyberno frigore addenſata, & adeò conſtricta, vt lapideſcere crederentur, blando Phœbi calore ſolui, & ad propriam naturam paulatim redire: concretas aquas liqueſcere ac defluere, terrâque agricolarum votis facilem & tractabilem

lem ſeſe exhibere: non vi quidẽ ipſi terræ inſita, aut humana vlla induſtria, ſed potiùs cœli & naturæ ſuperioris cum inferiore harmonia & pergrato fœdere, necnon auxiliari conſenſu & ſympathia. Vident inſuper omnes, eodem cœli & Solis benefico, vitali & fœcundante afflatu, ſtirpes quaſuis, ceu emortuas & humi antea cõſepultas, animari, vt ita dicam, ac veluti rediuiuas in germina erũpere, gemmas protrudere, & vbique latè luxuriare. Deſcendente verò & à nobis longiùs eunte eodem Sole cum vitali ſuo halitu & calore, omnia contrario procedere modo.

Sed harmonicas & euidẽtes rerum inferiorum ſympathias aliquot cum Sole, quas etiam manibus ruſticorum hominum, nedum philoſophorum, ingeſſit natura, illíſque per rura iter facientibus, vel vltro ob oculos poſuit, breuiter hîc (nam fuſiùs poſtea) oſtendere pergamus, à quarundam arborum foliis exorſi, quæ occulto cum Sole fœdere, harmonia & ſympathia, ipſiſſimo Solſtitij die conuerti ſolent, & confecti ſideris, vt loquitur Plinius, ſignum eſſe. Ne verò in ſaltus deuios & monteis aſperos nobis eundum ſit quærentibus huiuſcemodi ſigna & miracula, notiſſimas aliquot vrbanáſque arbores de multis in id ſpectaculi proferemus, nimirum oleam, vlmum, tiliam, ſalicem, & populum albam. Quarum folia ipſo Solſtitij die, ſeſe cõuertente Sole, ſympathia quadam vnà cum eo etiam inuerti, ac retrouerti, partéque alia cœlum reſpicere, quàm quâ ſpectauêre pridie, certũ eſt. Si fidẽ mihi non habes, obſerua, attende, reſpice, & fateberis. Vis

Mira ſympathia foliorũ quarundam arborum cum Sole.

Herbarum quarundã eadẽs sympathia cum sole & cælo.

ſympathiarũ & harmoniç cœli & terræ ſigna alia in herbis, earúmque foliis? audito Ariſtotelem, qui lirium, cepe, pulegium, etiam ſicca, & in tectis, ædiúmue tabulatis appẽſa, ipſo brumali die, Sole Capricornum ſalutante, florere pronuntiat: adeò nihil occultum voluit eſſe natura. Miretur hoc qui nec vidit, nec quotidiano experimento didicit, rerum parentem dediſſe inſuper agricolis herbas,(quibus rura ſcatent) horarum indices, ob ſocium motum & concentum quem cum Sole communem habent, tota die cum eo incedendo, & de florum conuerſione vnà ambulando. Vnde & Solis ſponſæ & ruſticorum horologia non temerè dici ſolẽt: vt ne ſic oculos ſuos à terra auertant agricolæ, & Solem, interrupto opere, identidem explorandis horis intueri cogantur. In harum catalogo primas tenent cichoreum, malua, calendula, pratenſis lotus, heliotropium, & ſpecies ea tithymali, quam, ex re ipſa, helioſcopium nominant. De quibus ne verbum vllum ampliùs hîc à me expectabis, propterea quòd diutius cum illis deinceps ſuo loco verſaturus ſum. Supereſt, vt à Sole ad Lunam deuoluamur, & viſibiles rerum inferiorum cum ea ſympatheîas, fœdera & harmoniam, paucis expediamus. Nouerunt omnes, animalium pilos, oculos, carnes, vngues, cornua, arborum ramos & herbarum folia, creſcẽte Luna ſuum accelerare exortum, inſpiſſari, multiplicari, & ſi cædantur, celerius renaſci. Nouerunt præterea Lunæ radios & lumen carnium ſaporẽ ac odorem mutare: & quidquid eſt in animalibus frigidum, humidum, album, & ſpermaticum, vt lac,

Solarium herbarum quarundam catalogus.

Variæ inferioris naturæ ſympathiæ cum Luna.

lac, cerebrum, ouorum albumen, medullæ & ſimilia, ex conſenſu & ſympatheîa, energeiâ Lunæ ac vires palàm ſentire. Vnde in mulierum mãmis & animaliũ vberibus lac humidius euadit ac fœcundius (vti etiam ventris excrementa) in augmẽto lunaris luminis, quàm decremento. Et oua quæ ad plenilunium emittuntur, plus albuminis habere ſolent & minus vitelli vergẽtis in pallidũ colorem potiùs quàm luteum: maximè, ſi Luna tunc ſupra terram fuerit, & in horizontis centro, vel haud ita procul, & aërea ſignorum triplicitate. Idem ſentiendum de piſcibus, qui tunc tẽporis habitiores, ſucculentioréſque habentur, quàm alio, vel piſcatorum teſtimonio. Vident præterea omnes, quòd adoleſcente Luna, humiditates in animantibus & plantis excreſcunt, pleno orbe lucente, vigent: deficiente, minuuntur: interlunio verò, cùm lumen omne à terra Phœbe auertit, & cœlo illud regerit, areſcunt. Eadem ſupra horizontem conſcendente, æſtuant maria, ceu eius motu impulſa & agitata, deſcendẽte verò, ſeſe recipiunt & paulatim recolligunt, donec ſolitum alueum & terminum attingant. Sunt alia ſympathiarum ſigna, & teſtimonia harmoniæ rerum inferiorum cum Sole, Luna, & aliis aſtris, non pauca, ſuis locis & capitibus ſigillatim nobis poſthac depromenda & explicanda.

Humiditates in animãtibus & plantis ſympathiã cum Luna agnoſcere.

Quem vsum rebus terræ de cœlestium harmonia, fœdere & sympathia præbeant nubes cum socijs ventis: Vbi de figuris & vario nubium colore & motu.

CAP. II.

Magna & stupeda Dei miracula in nubibus & rebus aerijs.

HIc omnium primùm admirandum & cogitandum propono, quî fiat vt graueis imbribus nubes, absque vllo adminiculo per inane sursum librētur, & aquarum vis tanta adeò sublimis pendeat, vt mox valido impetu ruitura, terram omnem subiectam inundare timeatur? Rursus, qui fiat, vt intra nubium sinus tam molleîs, tot aquarum vel plena nauigia contineant se, velut in vtres & vesicas clausæ & conglomeratæ? Adhæc, quomodo nubes illæ grauidæ nimbis è loco ad locum tam liberè sursum excurrāt vt volare videantur? Ipsa verò figurarum quas pingunt, & colorum diuersitas, quibus verbis explicari poterit? Aguntur per aërem mille modis, angulosæ tamen nunquam, (vt doctè adnotauit doctiss. & acutiss. philosophus Simon Grynęus) sed sinuosæ semper & veluti inuolutę, sæpe altissimarū alpium instar fastigiatæ: nunc aureæ, nunc rubentes, nunc atrę, nunc candorem omnē superantes: modò vt lanarū flocci dispersæ, quandoq; luridæ, subuirides, liuidæ, ex rubro candidę, & versicolores: aliàs, adeò densæ, spissę & continuę, vt diebus multis Solem terris eripiant: sæpenumero tam atrociter minaces, tonantes, horridè mugientes, ignem iaculantes, & fulminantes, vt cœlum terræ miscere velle, & mundo exitium ac finem intentare censeantur. Sed plurimum sereno

Mira nubiū natura, motus, & colorum varietas.

reno

reno cœlo ſub variis ſpectris, imaginibus & figuris apparere ſolent. Porrò, mirus eſt etiam earum motus. Nunc etenim ſurſum ſcandunt, nunc ad mundi latera mouētur, nunc inter ſe concurrunt, ac ſi præliarentur. Eſt præterea, cùm ſereno per cætera cœlo, ſubitò emergunt, & mox è conſpectu vaneſcentes abeunt. Ocioſus ſanè videri poſſet, ac ſuperuacuus hic naturæ quaſi ludus, niſi vſum præſtantiſſimum & præſentiſſ. terræ inde agnoſcerent. Pluuiarum receptacula ſunt nubes, ad ſummam neceſſitatem inſtituta: nimirũ, quòd cœlo duce, hauſtas tractáſque ſurſum aquas his terris refundunt quibus appetuntur: & ſi nimiis humoribus ſaturæ plus æquo abundauerint, rurſus hauriuntur, detrahuntur, & fauente eodem cœlo, hinc aliò deportantur. Quo etiam loco, ventorum vſum animaduertimus, ceu nubium vehiculum ſanè quàm commodum ad ſuum quibuſque terris velut commeatum in tempore diſtribuendum ac ſuppeditandum: ídque ab omni mũdi parte, loco ac prouincia: &, vt paucis verbis dicam, vbicunq; opus fuerit. Qua in re, ecquis, obſecro, Dei opt. max. bonitatem erga genus humanum laudare & prędicare ſatis poſſit? Nam quæ induſtria, terræ æſtu fathiſcenti, & rimas iam-iam præ longa ſiccitate agenti, omníque ſua ope deſtitutæ maturè ſuccurrat, & opportuna auxilia adferat, niſi nubes nimbis grauidæ, per totum ſæpe regnũ quodpiam, vel prouincias multas, longè, latéque exporrectas, largo pluuiarum lapſu naſcentia cuncta recreēt? Rurſus, quod remedium, auxiliúmue præſentius inuenias natanti

Quē vſum inferiori naturæ præſtēt nubes ex ſympathia.

Præstantissima et præsentiss. ma ex nubibus & ventis vtilitas.

ferè terræ pluuia diutina, quàm vt serenator & resiccans ventus quispiam auxiliaris tempestiuè adsit? sicuti paulò fusius & explicatius deinceps exponemus. Pluuiæ itaque, vt paucis multa dicã, harmonia quadam vniuersi, rigandis terris aquã præbent, nubes, vas quo continentur exhibent, & venti, currum quo vehuntur proferunt: equi sunt necessitas, gubernator, lex naturæ, & horum omniũ moderator ille qui quę vult facit in cœlo, aëre, terra, & aquis.

Quatuor anni cardines, seu tempora, vt vocant, à Sole & designatis sideribus disponi in vsum naturæ inferioris, ad eas rerum varietates quas ex harmonia cœlestium & sympathia, tempora illa quotannis proferre & exhibere solent. Cap. III.

Annuum Solis iter, in quatuor tempora & temperamẽta annum disponere.

ILLVSTRE testimoniũ diuinæ prouidentię in annuo Solis itinere ad quatuor partium anni constitutionem, & superioris naturæ cum inferiore fouendam harmoniã & sympathiã, hîc nobis apetiendum sese offert: vt discant tyrones, nec temerè, nec frustra à Poëta pronunciatum fuisse,

» *Per duodena regit mundum Sol aureus astra.*

Qui in θεωρίᾳ cœlestium corporum versati sunt, probè norunt orbeis stellarum, nedum Solis, circumflexu suo regionem mundi elementarem, & quæ in ea ex elementis conflata sunt corpora cõplecti. Nec solùm motu & lumine illa afficere, excitatis qualitatibus primis, & ex iis aliis, alia proportione iunctis coactísque in vnam temperiem, verumetiam tanquam occulta vi afflare & commo-

commouere. Cùm itaque oporteret Solē mundí regem, obliquo circuitu ſuo quatuor anni cardines diſtinguere, ſtatuere & temperare, vt particulatim illos qualitatibus variaret toti naturæ inferiori neceſſariis, cámque varietatem ſua vi ſolus ille efficere nequiret, Naturæ autor & conditor totum Solis iter annuum ex diuerſarū qualitatum ſtellis nequaquam confuſis & ſine ordine, ſed alternatim diſtributis, miranda digeſſit & conſtruxit ſapientia: voluítque ita anni parteis quatuor & tempora, qualitatibus diſtincta, his nomenclaturis, Ver, Æſtas, Autumnus, Hyems, nuncupari. De quibus nunc demum nobis ex ordine ſcribendum.

Solē ſua vi ſolum non potuiſſe annum in parteis qualitatibus diſtinctas variare & diſtribuere.

VERNA *temporis conſtitutio, & eius harmonica ſympathia cum cælo.*

ASTRONOMI tribuunt initiū Veri, dum ſuperata zodiaci & æquatoris ſectione, Sol in Arietem tranſiit. Quo tempore ſubiectæ terræ propiùs incumbens, eam radiis ſuis fortiùs premit & vrget: acuentibus eorum vim, ſtellis ſigni Arietis, natura calidis. Quare, tum redundantes, noxióſque terræ humores, calore aucto, Sol depaſcitur & exſorbet ventos ſubſolanos aridiores tum commouēs, qui ſuperfluum humorem abſumant ac diſſipent: vt tum proſcindi terra, & conſeri, occaríque poſſit. Nam præterquā quòd à vicina & prægreſſa hyeme, aquis & nimbis inundati & ferè inebriati agri aliter exerceri non potuiſſent, etiam aquarū illuuies & copia adhuc innatans, mandata terræ ſemina, arborúmque

Veris conſtitutio & qualitas vnde.

fœtus, & alia, enectura & perditura fuiſſet. Rurſus, ne terra caloribus & flatibus, procedente Vere ſubinde arefacta, ſemina cum plantis deſtituat, Hyadum, Pleïadúmque in Tauro, & à Septentrione Hœdorum, à meridie vicini Orionis, atque ex aduerſo decumbentis Arcturi vires ille idem Sol extimulat. Quæ ſidera, auſtrinos, humidóſque flatus excitãt, & diebus aliquot pluuias, Ptolemęo genitales nuncupatas, proferunt: quæ condita ſemina & enatam ſegetem, plãtáſq; & arbores vniuerſim omnes irrigant ac fœcundant. Quia verò non ſolo humore, ſed humido, calidóque, mixtorum eſt origo, à Tauro digredientem Solem, è veſtigio excipiũt Geminorum ſtellæ, quæ cum eo calorem non vrentem, ſed temperatum, fœcundum & conuenientẽ naſcentibus atque augeſcentibus rebus terræ, blandè ſuggerunt.

Inferioris naturæ cũ ſuperiore ſympathia, Veris tempore.

*Æ*STIVA *temporis conſtitutio, & eius harmonica ſympathia cum cœlo.*

VBI in feſtucam excreuit ſeges, ac iam ariſtas & ſpicas formandis excipiendíſque granis depromit, cúmque arborum flores in fructum abierunt paulatim adoleſcentem, rurſus humore opus eſt: quo abſente & deficiente, nunquam iuſtam aſſequuntur magnitudinem. Eum humorem Cancri ſtellæ pluuioſæ, quaſi euocatæ Solis acceſſu impertiunt & ſuppeditant. Cæterùm, ne his omnibus maturatio deeſſet, ſine qua perirent naturæ opera quantumuis exquiſitè formata & elabo-

Mixtorum originẽ non eſſe ex ſolo humore, ſed calido & humido.

elaborata, ideo Cancro, æſtuans atque vrens ſuccedit Leonis ſignum : cui pro ſatellitio adſunt flammiuomæ Canis vtriuſque ſtellæ, quæ radiorum Solis hoſpitis vibratu ictæ & incenſæ exardeſcunt, augéntque incendia Solis, verticibus ex propinquo imminentis. Iraque, ſuperflui humidi quidquid eſt reſiduum in terra, & terrâ natis, hiſce ardoribus exugitur, ac diſcutitur, & reliquum excoquitur ac maturatur. Sed non omittendum quod etiam ardores hi vinearum luxuriem immittunt & vuas percoquunt: Nihilominus, ſi nimij ſint, exuſtis viribus, ceu quodam vredinis carbone, malum ipſis infligunt, quod carbunculum vocant. Vnde Caniculam nonnulli aſtrum carbunculare, & Plinius decretoriũ ſidus vuis, nuncuparunt. Ne verò per hæc κυνοκαύματα & ardores, animantium, operantiúmque corpora ſub dio vrantur, Sol ventos, Eteſias dictos, euocat. Qui tunc cum ipſo Sole naſcentes & ſpirantes, moderato flatu & frigidiuſcula aura æſtum interdiu leniunt, & Sole abeunte ſpirare deſinunt. Porrò, quia præcedẽtibus æſtibus torrefacta terra, ſi aratro proſcinderetur non cohæreret, ſed ſpargeretur & in puluerem abiret, proiectáque ſemina, aut non admitteret, aut admiſſa & contecta non vegetaret, idcirco Sol à Leonis digreſſu, Virginis ſignum ſic ſatis humidum, aquoſum & ventoſum percurrit : vicinúmque Arcturi ſidus, tempeſtuoſis effectibus celebre, comitem ſibi aſciſcit : vnde congregatis horum vi & qualitate nubibus, aër pluuias àquas abundè fundit : quibus puluerulenta terra perma-

Quis vſus æſtuum & calorũ æſtatis.

Pulchra ſolis œconomia in diſponenda æſtate.

defcens glutinatur, & aratro facilè obtemperat: humidúfque aër corrugatas vuas blandè reficit, & corpulentiores habitioréfque reddit.

AVTVMNALIS temporis conftitutio & harmonica eius fympathia cum cœlo.

Calidiora loca celeriorem habere ὀπώραν.

IN frigidioribus regionibus, initiante Autumno, & vina & fructus calore indigent: ob id celerioré habēt ὀπώραν calidiora loca, fructuúmq; prouentum; alia aliis citiùs. Talem calorem Sol profert de flatibus fœcundis, & temperatis ftellarum Libræ: quæ vna Autumno initium præbet, mox vbi alteram Æquatoris & Zodiaci fectionem ille idem Sol attigit, & ad medium annui itineris fui peruenit. Tunc vel paulò pòft, fatigatam, & æftiuis laboribus, ardoribúfque exhauftam terram ac reficcatam, emolliunt, fubigũt & præparant Scorpij ftellæ, Solem proximè excipientes: necnon aduerfis & oppofitis radiis eo tempore fub occafum depreffæ, irritatæq; Pleïades, Hyadéfq;, fimul nimbofus Orion. Ne verò obruta, fepultáque femina frigus, diurnas & nocturnas agens excubias, offendat ac difperdat, Sol calidi Sagittarij præfidio, quoad eius fieri poteft, id arcet ac fufpendit: donec firmatis radiculis contra frigoris iniuriam fefe muniant. Nec verò terrâ prouenientibus folùm neceffaria fuit hæc viciffitudo, fed & animantibus. Non enim vel continuos ardores, vel acriùs vrgentia, inftãtiáque frigora, aut fine intermiffione vel delabentes pluuias, vel exundantia flumina, vel vberiùs

Mira Dei bonitas in conferuãdis terra & animantium rebus.

riùs & vniuerſim madentem aërem, arentémue perferre poſſent. Quare, variatis partium anni vicibus, ſi quid allatum eſt detrimenti animantibus, vel terrâ prouenientibus exceſſu antegreſſo qualitatum, id corrigitur & reſtituitur vi contraria ſequentium.

HYEMALIS *temporis conſtitutio & harmonica eius ſympathia cum cœlo.*

FRIGIDAM cœli cõſtitutionem inimicã terrâ naſcẽtibus Sol adfert, vbi limitẽ ſui exceſſus à nobis remotiſſimũ occupat in Capricorni ſigno. Viget autem ea conſtitutio, dum & hoc ſignũ & Aquarij partem bonam peruagatur. Inde, verſus ſeptentrionem ex Aquario in Piſcium aſteriſmũ curſum vertens (quæ ſigna humida ſunt & natura flatulenta) cùm paulò directiorum in ſubiectas terras radiorum alliſu, tum etiam ſtellarum his in ſignis conſiſtentium & cooriẽtium, Pegaſi, Perſei, ac Andromedæ auxilio, teporem aëri blãdiorem afflare incipit, fuſiſque qui adfuerant humoribus & niuibus, ac terra fœcundorum Fauoniorum ope laxata, crebriores elicit flatus, quibus inferiora vegetat & ad conceptum partúmque inuitat. Sicuti paulò pleniùs ac planiùs in ſequentibus, Deo aſpirante, oſtendere ſatagemus. Verum enimuerò, in his partiũ anni deſcriptionibus & conſtitutionibus habenda erit climatum ratio, & regionum reſpectu cœli poſitio. Ad geographica itaque & coſmographica ibi recurrendum, nec omittendum quòd ſi ſuprà ſcriptæ partium anni conſtitutiones, perpetuò ſibi

Vnde hyemalis cõſtitutio frigida & humida.

Admonitio non negligenda.

similes non esse, nec eandem & similem faciem omnibus annis præ se ferre deprehendũtur, Deo scelerum nostrorum iusto vindici, & ob id cœli, stellarúmque actiones meritò suspendenti & inuertenti, ascribendum erit. Vel potentiori cuipiã vi cœlesti, quæ per iam dicta anni tempora suas vires exerit & decretoria promissa adimplet. Huiusmodi esse solent, maiores, vt vocant, sublimium planetarum coniunctiones, insignia luminarium deliquia, & ingentium cometarum diuturna ac longa incendia. Quibus, ceu causis potentioribus, rarioribus & validioribus, facilè cedunt minores & imbecilliores. Hinc sæpenumero factum videas, vt Ver Hyemis, nonnunquam Æstatis mores & habitum induat, & Veris Æstas permutatis qualitatibus. Quod quarto quoque anno plerumque contigisse obseruauimus, & septimo sæpiùs, ceu decretoriis mundi temporibus: de quibus, per occasionem, plura, aspirante Deo, alibi scribemus.

Deũ ob scelera nostra quandoque suspendere actiones cœli & stellarum.

Sidera nequaquam ociosa esse, nec ad solum mundi ornatum & speciosum spectaculum creata, vt volunt Epicurei. Adhæc, vim motricem & vitalem diffundi à superiore natura, in inferiorem, cœlo & Sole duce, ad rerum propagationem, & fouendam vniuersitatis mundi harmoniam & sympathiam.

CAP. IIII.

NON pauci in Epicureorum scholis educati, dum cœlum intuentur, non solùm stellas in eo frustra moueri & lucere opinãtur, sed furiosè etiam

Epicureorũ furiosæ opiniones de cœlo & stellis.

etiam negant vireis vllas eis inesse: cõtendúntque solius ornatus causa illas, ceu gemmas in annulis, ibidẽ splendere. Detestãdæ ac insanæ huiuscemodi opiniones, quia validissimis & efficacissimis rationibus iam olim à summis viris refutatæ sunt, ac penitus explosæ, idcirco non est quòd hîc in earum oppugnatione, & verba & tempora perdam. Cùm itaque, vel solis experientiæ testimoniis apertè vincãtur sceleratissimi isti ἄθεοι, ἐς κόρακας, καὶ τῶν κακοδαιμόνων μυριάδας eos abire libenter sinamus, & ingenuè profiteamur nihil absurdius esse, imò verò turpius, quàm cogitare pulcherrimam siderum inter se harmoniam, cœlique & terræ sympathiam, ac vtrorumque vicissitudinem à mente diuina sapiẽter institutam, certo vsu carere, & certo ordine, certísque legibus ac motibus destitui: cùm re vera agnoscamus in singulis animantium corporibus certum ordinem, certámque symmetriam omnium partium & membrorum, certis inseruientem motuum actionibus & corporeis functionibus, vt in nostris rerum cœli Paradoxis ostendemus. Quod si est, vt vero verius esse constat, quid, per Deum immortalem, grunniunt Epicuri isti de grege porci, tot clarissima mundi lumina in hoc cœlesti opificio & theatro nulla motus analogia diuinitus agi, nullámque præbere actionum & alterationum causam rebus inferioris naturæ, ac si ociosum esset cœlum, & temerè ab ocioso artifice, ô nefas! regeretur? Sed omissa istorum ridicula cæcitate, impudentia & impietate, seria omnibúsque sæculis à doctis & piis hominibus

Siderũ harmoniam & cœli terræq; sympathiam certo vsu non carere.

probata, nunc demum proponamus: & Solem admirandum illum naturæ modificatorem, omnium primum in hoc noſtro ſtatuamus theatro. Ad cuius conſpectum Socratem ſæpenumero irriguiſſe ferũt, dum ab exortu in occaſum vſque, oculis adeò defixis illum ſequeretur, vt ſeceſſus mẽtis à corpore eius factus videretur. Ille itaque cœleſtium omnium dux & princeps, obliquo curſu per mundum incedens, quacunque accedere poteſt, omnia exhilarat, fœcundat, ſerenat & vegetat: quà non poteſt, ſpurca, fœda, nebuloſa & imperfecta relinquit: ſuo diſceſſu & elõgatione, ſicuti nunc nuper dicebamus, ſpacium præbens conceptibus terræ, vt mox aduentu & propinquitate ſua eis proſpiciat, & vi tacita ſuccurrat. Secedit enim tantiſper, dum ſympathia quadam, terra idoneis & opportunis humoribus imbuta, ferendis tam potentis amici congreſſibus apta ſit? Qui tum demum redit iis gradibus, vt ſiccatis terrarum ſummis partibus, cohibita vis ad eius aduentum & proſpectum fibras ſtirpium primùm intus gignat: deinde herbeſcentem viriditatem proiiciat, poſtremò ad maturitatem omnia perducat. Qua in re, cœleſtium ignium & ſtellarum adminiculo & ſatellitio non deſtituitur: planetarum in primis, qui tanquã nouum quiddam in terris cum Sole moliturí, nunc coeũt in vnum, & ab vna omnes, eadémque parte vi illata, bellum inferiori naturæ commouere & intentare videntur: nunc locis ſparſi, procúlque diſiecti & variè ſurſum diſſeminati, pacem mundo pollicentur. Nunc, tanquam non ſit alioqui

Magna Solis beneficia in terram & res illius omnes.

Solẽ ſtellarum adminiculo indigere, à quibus non deſtituitur, maximè à planetis.

virium ſatis, ſed præſentiorem opem eorum flagitent res terræ, propiùs ſeſe ad illas demittunt. Nunc, velut parcentes inferioribus, longiùs abeunt, vltróque in ſublime ſeſe tollunt. Nunc, velut opera diligentiore non ſit opus, hærent ac cunctantur alicubi: nunc, quaſi mora incommodari poſſet, celeriter cõuolant. Sæpe etiam quaſi locus inuitet, aut certè quaſi operæprecium aliquod intermiſſum ſit, conuerſo curſu regrediuntur. Quorum omnium nihil fit abſque prouidentia ſingulari, nihil non functioni cœleſtium pernecceſſariè deſtinatum. De Luna, quæ cum his ocioſa non eſt, & ſecundam poſt Solem in hoc theatro agit perſonam, ſuo loco deinceps abundè, aſpirãte Deo, dicturi ſumus. Cæterùm, hîc animaduerſione dignum arbitror, quòd & Solis, & planetarum, aliorúmque ſiderum vis & poteſtas non ſolùm elementorum faciem, vel ad mundi temperamentũ, vel ad rerum generationem immutat, diſponítque, ſed & proprietatem ſuam cuique naſcentium etiam confert. Vnde illa tam multiplex rerum diuerſitas, figuris, formis, coloribus, modis denique mille diſtincta: cœlo non minùs terris ipſis picturato. Sed de his in ſequentibus fuſiùs.

Animaduerſio obſeruanda & notatu digna.

Sidera non eſſe eadem, nec habere eoſdem motus, ſitus ac fulgores: & proinde res eaſdem minimè deorſum producere: quin potius varietatis & diſsimilitudinis rerum, temporum & qualitatũ cauſas præbere.

CAP. V.

C

Vnde tot, & tam variæ diuersitates in rebus naturæ inferioris.

DICANT Epicurei, quorſum tanta magnitudinum differentia, támque diuerſa lucis, motuum & locorum varietate ſtellas creaſſet, ac ſurſum locaſſet, diuúmque, hominúmque poteſtas, ſi rem eandem illas omnes præſtare, ac eoſdem effectus, formas eaſdem, ac ſimiles colores rebus inferioris naturæ imprimere, conflare, & afflare voluiſſet? Stella, inquit Apoſtolus, à ſtella differt. Nonne Sol alio conſtat corpore, aliáque magnitudine & luce, quàm Luna, & Iupiter quàm Mars, Saturnus quàm Venus, βασίλισκος quàm στάχυς, Sirius quàm Arcturus, λαμπάδιας quàm Lyra, totus Orion quàm Hyades, & ità de reliquis? fatendum, me hercule, & colligendum ex hac cœleſtium corporum & luminum diuerſitate, effectionum quoque & naturarum diuerſitatem in natura inferiore oboriri. Hinc nimirum vrit ac torrefacit Martis aſtrum, modò ſui iuris fuerit: Saturni frigefacit, denſat & congelat: Iouis rarefacit & temperat: Lunæ relaxat & humectat, & ſic deinceps. Hinc denique Martis fulgor & color flauus apparet, Saturni fuſcus & liuidus, Iouis ex auro & argento temperatus, (vnde argentaureus à quibuſdam dictus) Solis fuluus & rutilus, Veneris candidus, Mercurij varius, & Lunæ ex albo maculoſus & nebuloſus, vt in Paradoxis rerum cœli accuratiùs monſtrabimus. Hinc Suculæ pluuioſas tempeſtates excitant: Arcturus tonat, grandine depopulans hominúmque boúmque labores: hinc ardenteis contriſtat Sirius agros: hinc inſana Canicula meſſes excoquit, atq; ſitim, morbóſque vehit mortalibus ægris: & ita de

Planetarũ effectus & colores.

de reliquis astris. Quæ omnia à sapientissimo κοσμοποιῷ sic sunt instituta, vt totus ordo cœlestiũ, vices temporum adferret & referret, ad animantium vtilitatem, & rerum terræ vsum: haberentúrque certa & discreta partium anni discrimina, ad arationis, sationis, fœnisecij, messis, vindemiæ, oliuationis, collectionis fructuum, florum, herbarum, & rerum aliarum opportunam commoditatem. Quis, quæso, non obseruat Vere nouo, vt paulò antè dicebamus, cùm opus est imbribus, Hyades, Pleïades, Hœdos, Orionem, & pluuiosa alia sidera oriri, quæ semina, prata, arbusta, & adolescentem segetem tempestiuè irrigent, ac austrinos flatus excitent? Sic dum per æstatem siccitate opus est, vt id denuo repetam, videmus Solem accedere ad Leonis, Sirij & Caniculæ sidera, æstum cum siccitate promouentia, ad messis, fructuum, vuarum, &, vt vno verbo dicam, opôræ congruam coctionem & maturitatem. Quis nescit Solem vbi Autumno temperatas libræ stellas attigit, efficere, vt sationi ritè appareret terra, condantúrque cadis gratissima munera Bacchi? Quid vis ampliùs? nonne ille idem Sol, Scorpij, vt præmonui, stellas assecutus, occidentibus parte opposita humidis & pluuiis Hyadum, Pleïadum ac Orionis stellis, iacentia in arido terræ vtero semina, peropportunè humectat: & ne penetrabile frigus, adhuc lactescentibus & pullulantibus illis noceat, calidi Sagittarij, paùlò post, in eorum gratiam, vt ita dicam, suppetias implorat, tantisper dum firmas, sic satis, radiculas egerint? Tum demum, ad remotissimũ no-

Vices temporum & rerũ à toto ordine cœlesti pẽdere.

Quatuor partiũ anni statum à quibus sideribus Sole duce constituatur.

bis Capricorni limitem festinat, vt eius frigiditate & siccitate, terra vteri muliebris modo, post conceptum semen strictim claudatur, quò inchoati fœtus plus alimoniæ & viriũ tota hyeme à matre accipiant: & niuium lapsu, ceu quodam lactis stillicidio, apprimè pinguescant & habitiores euadant, absque vlla ingurgitatione, vt fieri solet ab imbribus & crebris pluuiis: Vnde, velut ex vbere tunc temporis aluntur, communi etiam arborum & aliarum frugum voto eo quòd niues terræ animam, vt loquitur *Plinius*, exhalatione vanescentem includunt, purúmque ac pinguem liquorem sensim fundunt & exstillãt: quòd sint aquarum cœlestium veluti spuma. Sed de his satis, vel fortasse plura quàm opus fuerit, quòd abundè in illis paulò antè versati simus, & metuamus ne sit, quod dicunt, crambe repetita molesta. Redeo itaque ad Epicuri de grege porcos, à quibus peto quid sibi vult quòd ex animalibus & volucribus quædã nidulantur & pariunt certo statóque ac illis peculiari exoriente sidere, quædam verò alio, longéque diuerso? Quid præterea, quòd ex gregariis piscibus, hi turmatim vno sese sub sidere produnt, & facilè piscantium retia ac sagenas subeunt, alij contrà sub alio? Quid insuper, quòd ex frugibus & leguminibus quædam sub vno astro seri volunt, alia verò sub alio? Quid denique, quòd plantarum quædam suum florem non alio nobis exhibent tempore, nisi dum Sol ad Arietis stellas, vel haud ita procul, accedit: vt in verbasculo, (ob id primula veris appellato) purpurea viola, & item luthea, similibúsque multis

Pulchra de niuibus fœtuum terræ alumnis & nutricibus.

Rerũ aëris, aquæ & terræ manifesta sympathia cũ cœlo.

multis apparet? Aliæ verò, dum ille idem Sol alium Zodiaci asterismum perlustrat: & aliæ rursus, cùm in alio signo, & cùm aliis stellis obambulat: ac ita deinceps, donec signiferi totum peragrauerit orbem. Non hæc, quæso, singula palam testantur, & ob omnium oculos ponunt visibilem ac manifestã rerum aëris, aquæ & terræ harmoniam, sympathiam, consensum, fœdus & concentum cum rebus superioris naturæ, aut, si mauis, cœli? Hæc itaque dum audiunt, vident & intelligunt impij isti Epicurei, absurdarum opinionũ magistri, ecquid cœlum suis viribus spoliare, & ociosum dicere satagunt? Sanè, quoties hanc cœli ac siderum harmoniam & cum rebus inferioribus apertam obseruãt sympathiam, næ illi, vel nolentes, fateri coguntur, cœlo & stellis mirabilẽ inesse ζώαιν, & hominum labores, vitam ac studia, Deo Opt. Max. summè curæ esse: qui ob id à Xenophonte φιλόζωος perappositè nuncupatur.

Inferiora cœlestibus ancillari, & certa immotáque lege subiici, necnon ab his opportuna auxilia opportunè, quadam harmonia & sympathia, recipere.

CAP. VI.

NEMINEM esse puto, vel per somniũ, quod dicunt, in philosophico puluere versatum, qui non facilè fateatur vniuersam terræ & aquæ molem, & quidquid in eis degit, ita superioribus elementis coaptari, illáque ipsa elementa cœlo ac sideribus sic exponi, & rursus vtraque ab

Totum id, quod Naturam vocamus, mira harmonia & sympathia cõcorditer degere.

inſcrutabili diuinæ ſapientiæ & prouidentiæ cõſilio, ita regi, temperari & conſtitui, vt totum id quod naturam vocamus, mutuis amplexibus, ligamentis, officiis & muneribus nexum, tanquam vnum ex omnibus, & omnia ex vno, in tanta diſſimilium, diſcrepãtiúmque rerum multitudine, mira harmonia & ſympathia concorditer degat, & de pentachordo veluti monochordum fiat. Id autem totum veteres Græci κόσμον, Latini verò mundum appoſitè & rectè nuncuparunt: à perfecta, abſolutáque elegantia, vt tradit Plinius, vel ab ornata, concinnáque rerum coagmentatione & continuata pulchritudine. Quæ ſecundum Deum, non aliunde proficiſcitur, quàm à demenſa & ſtataria elementorum inter ſe lege, accedente propitia & fauorabili ſiderum cõſpiratione. Vbi illud quoque valde admirandum videtur, quòd elementorum inuicem diſcordantium rixam & velitationẽ non diu fouent ſidera ipſa, ſed, vt arbitri honorarij & iudices dignitatis ſuæ memores, ad mundi vſum & publicã vtilitatem, rerúmque omnium temperamentum, nunc has, nunc illas ipſorum elementorum parteis tutantur, & ab omni factione alieni in commune bonum promouẽt. In quam rem, excogitati ſunt, miro Dei fauore, planetarum orbes, ac motus varij. Quibus, vt in Paradoxis pleniùs trademus, nunc ad nos demittuntur, nunc longiùs abſiſtunt, nunc lentè, nunc celeriter præteruehuntur, nunc auertuntur, modò conuertuntur, aliàs copulantur, opponuntur, & variis ſchematiſmis ſociantur, vt antea diximus,

Quomodo ſe gerant ſidera ad componendam diſcordantiũ elementorum rixã.

prout

prout præsens elementorum ratio, & mundi status ac necessitas exigit. Hinc nimirum videas quòd si plurium siderum vis aliqua ignea, de opportunis Zodiaci locis terras propiùs vrget & pulsat, illico æstuant, vruntur ac flagrant inferiora: si verò frigida id molitur, rigescũt, gelu concrescunt & horrent. Id quod euidentissimè demonstrat, infima à summis pendêre, & illis, velint nolint, parêre, auxiliaresque manus, vt ita dicam, ab eis nonnũquam implorare. Quod, vel me tacente, inuitus fateri cogeris, quisquis es obstinatus, quoties crebris & longis imbribus adeò saturatam, & quasi immersam vides terram, vt tota natare videatur, & cœnosum pro terra lutum præ se ferre. Quo in statu perpetuò mansura periclitaretur, nisi incomparabilis ille Naturæ moderator Deus Opt. Max. auxiliares ei manus desuper tenderet: emitterétque Solem, & selecta aliquot astra, quæ propicium calorem, & sudificos aquilones (terræ scopas doctori Hieronymo nuncupatos) secum ex alto deducant: & quidquid est conquisitè humiditatis & vliginis, vno, alteróue die exhauriant, absorbeãt, & exiccando vbique disperdãt. Quod ni sic fieret, quot, Deus bone, eam in rem ignibus opus esse credas! quot arborũ myriadibus ad huiuscemodi ignes, non dicam ruratim, sed regionatim, vel anno integro excitandos, fouendos & reparãdos? Quot mõtibus in sitibundas spongias cõuersis, ad exugendas & ebibendas aquas illas? De tellure per longos æstus resiccata & torrefacta, simile tibi proponito exemplum. Pro cuius cõgrua humo-

Infima à summis auxiliares manus quando implorẽt & requirant.

ctatione & refocillatione, quot fontibus, quot puteis, fluminibus, & stagnis exhauriendis opus esse dicas, quum die vna & nocte, plùs minùs, auxiliares pluuias affatim & confertim demittente cœlo, id extemplo factũ obseruas? Deniq; quot millia hominum ferreis, ferratísque machinis, aut aliter probè instructorum mihi dabis, qui gelu concretum & apprimè glaciatum flumen quodpiam insigne, vel anno vno dissoluere queant, cùm diebus aliquot, excitatis cœlitus austris, (quos mundi pincernas vocãt) madidísque Euri flatibus, comite Sole, id sensim factũ agnoscas? Dic, amabo te, quoties prata tua, segetes tuæ, plantæ, arbores, ac rura sitiunt, & præ siccitate atrophiam minantur, aut humidi penuria tabem, vel sphacelismum metuũt, quot aquarum plena nauigia sufficiant, vel irrigandis duntaxat terræ iugeribus centum, quum pluuia nox vna, & altera, his longéq; pluribus rigandis & humectandis abundè satis esse possit? Vides itaque & audis, quantum auxilij, fauoris & opis, ex vniuersi harmonia, fœdere antiquo & sympathia cœlum telluri impertiat, aut, si me vis paulò φυσικοτέρως loqui, quantum inferior natura, superiori debeat: & homines ipsi cœlesti, omnipotentíque Deo deuinciantur: cui vni & soli tellus ac sidera parent.

Cœlum in res inferiores, vel momẽto id perficere, quod humana industria vix anno vno posset.

Naturam inferiorẽ superiori plurimum debere.

A Sole & cœlo, Naturæ seminario inexhausto, occultos fluores in terram cæca via delabi ac diffundi, ad annonæ & rerum anni prouentum.

CAP. VII.

Hic

HIc rursus aggredior μισυράνες Epicureos, sollicitè ex illis quærens, qui fit quòd Sole adolescente, & paulatim per veris tempora, hemisphærium nostrum superando scandente, suóque vitali & salutari calore reiuuenescentem & renascentem naturam rerum gradatim fouente, vegetante, animante & stimulante, humidorum astrorum, vt paulò antè dicebamus, satellitio comite, sic se nobis illa vestit & adornat, vt hinc certum sit eximium theatrum apparari hominibus ad spectanda, excipienda & admiranda tot florum ornamenta, tot odores, tot colores & suauitates, quæ re vera omnes omnium sensus inenarrabili voluptate perfundunt, & miraculo vsq; adeò suspiciendo rapiunt, vt vel totum diem oculos remorentur vbique:

Vitalē Solis calorem, rebus terræ valde prodesse.

» *Dum niueos, dum cyaneos superare lapillos,*
» *Sardonychas, smaragdos, adamantas, iaspidas ipsi*
» *Contendunt flores: ridéntque micantia latè*
» *Gramina, per tumulos, valles, per pascua, saltus.*
» *Pérque amnis placidi ripas: quando omnia vernāt,*
» *Omnia luxuriant, & amico flore coruscant:*
» *Parturiunt stipulæ frugem: & genitalibus auris*
» *Passim turgescunt lactentibus hordea culmis:*
» *Palmes agit rupto lachrymantes cortice gemmas:*
» *Séque rudes cultis monstrant in vitibus vuæ.*

Pulcherrima hypotyposis verni temporis.

Quæram insuper ab illismet Epicureis, quorsum Sole altius gradiēte, & hinc magis, magísque telluris gremium excalfaciente, fœlix illa & optata fructuum omnis generis consequitur opulentia, adeò, vt nihil amplius maiúsue, etiam diligenter vestigando, expetere possit mens humana in tan-

to & tam grato eorum ſapore, mira diuerſitate, pictura, effigie, odore, ſuauitate & gratia? Reſpódebunt, opinor, hæc omnia tá miro, vtili, iucúdo, ac plauſibili ſpectaculo teſtari & ſignificare cœlum ac terram, inito fœdere & harmonica ſympathia, hominibus impenſè gratulari, eóſque ſedulo inuitare ad ſuſpiciendum, colendum, & venerandum tot bonorum autorem, tantorúmque miraculorum artificem, & pulcherrimarum huiuſcemodi rerum architectum incomparabilem. Pergebam huic narrationi finē facere, cùm, ecce, mihi peropportunè in mentem venit immenſa alia & omnibus horis celebranda Dei bonitas: quæ hominum, boúmque labores piè miſerata, clementer eis quotannis proſpiciendo, legem talem cœlo præſcribit, vt partibus illis anni quibus Flora, Pomona, Ceres & Bacchus ſerias, aſſiduáſque agricolarū operas exigunt, Vere nimirū procedēte, & Æſtate excurrente, necnon Autumno appetente, dies noctibus longiores trahantur: Aliis verò anni partibus quæ tam ſerias & graues operas non poſtulant, vice verſa id contingat: vt ruris magiſtri & eorū operæ habeant vnde reparent vires, feſſáque membra leuent: Quæquidem membra, ſudando, vigilando, ſitiendo, & totos longiſſimorum dierum labores perferendo, leuitérque dormiendo, fracta ac delaſſata ſuſtinere ſolent. Sed in his diutiùs verſari præſentis non eſt inſtituti: in quo omnium maximè ſcribere ſatagimus de harmonia, ſympathia, ſocio fœdere & conſenſu ſuperioris naturæ cum inferiore, aut ſi mauis, cœleſtium corporum cum inferioribus inexpli-

Cœlum & terram hominibus ingratiſsimis fauere & gratulari.

Autoris inſtitutum & ſcopus in præſenti opere.

inexplicabili cognatione, & incredibili concentu manifestorum ad occulta, & occultorum ad manifesta, de vniuersi sympathia & harmonia: Quæ quàm longè & latè in rebus naturæ inferioris se prodat, nunc demum, pro mea tenuitate, paucis & luculenter ostendere mihi incumbit.

Sympathia & harmonicus concentus humani corporis cum cælo: necnon arborum quarundam & plantarum, rerúmque aliarum, cum Sole & Luna.

CAP. VIII.

MIRACVLVM omnium admiratione exuperās, vna illa est illustris harmonia & sympathia, quam humanum corpus cum cœlis præ se fert & agnoscit. De qua, propterea quòd haud ita pridem Opusculum in lucem emisimus, & fusè, ac dilucidè, vt tulerunt vires nostræ, scripsimus, idcirco in præsentiarum calamum conuertimus ad sympathiam illam & harmoniā quam euidenter & luculenter arbores nonnullæ & plantæ ostendunt se habere cum Sole, Luna & reliquis sideribus. Vt itaque intelligant tyrones rerum cœli & naturæ studiosi, imò verò vt videntes videant quid harmoniæ, fœderis & consensus, concentúsque agnoscāt infima cum summis, & summa cum infimis, fateantúrque cœlestia in terris reperiri, sed modo terreno, & in cœlis terrestria, secundum causam & modum cœlestem, ego omnium primùm sedulos naturæ exploratores monebo, vt ipsa die Solstitij diligenter intueantur folia salicis, populi albæ, vlmi, tiliæ

Liber Autoris de harmonia rerū cœli & corporis humani.

Solstitiales arbores, tropicæ & solares.

& oleæ: ex eorúmque intuitu non perfunctorio animaduertant tropicam harmoniam, visibilémque sympathiam, quam dictarum arborum folia eo ipso die Solstitij cum Sole palàm ostendunt. Siquidem, vt libri huius initio dicebamus, supinas foliorũ parteis alia facie cœlum intueri obseruabũt, quàm qua spectauere pridie. Sic herba cichoreũ vocata, qua viæ omnes scatent, singulis horis cum Sole, vel nubilo obumbrante, circumagitur: florem exortu aperit, meridie quantum potest dilatat, & occasu claudit: tanto sideris amore, vt suo comitatu illud lustrans & insequens, etiam proprium caulem intorqueat, noctúque, eius desiderio sese velut tabescens, contrahat. Sic lupini flos, exoriente Sole paulatim se explicat, occidente complicat, & medium cœlum tenente omnino aperit: Solem vbi vbi fuerit, sua ad eum conuersione, etiam obscuro die, euidentissimè prodens. Florum istorum catalogo non temerè ascribam, (vt id ex principio Opusculi huius repetam) hortensem & altilem caltham, (seu calendulam. Cuius flos, quatenus Sol ad mediam cœli plagam ascendit, eatenus se aperit, & euoluit: quatenus verò à meridie ad occasum labitur, paulatim conuoluit & claudit, Solem semper contuendo & insequendo. Ex quo, plantæ hæ Solis sponsæ à plerísque, vt præmonuimus, vocari solent, nomine conuenientè rei. Nam cum Sole dormire & expergisci vidétur: crepusculis clausæ, & veluti consopitæ, desiderio quodam absentis, sed illico rediturì sponsi & amici. Nec de flore solùm, verumetiam de folio

Flores Solis comites, & ob id tusticorũ horologia dicti.

Cur plantæ multæ Solis sponsæ dicã tur.

de folio circumactus ille fieri, diligenter obseruantibus deprehenditur. Sed vnde, obsecro, tam stupenda & suspicienda hæc naturalium sympathiarum & harmoniç miracula? An quòd cuncta, vt tradit Proclus in Opusculo de sacrificio & magia, hymnos concinũt ad ordinis sui duces, alia intellectuali modo, alia rationali, alia naturali, alia verò sensibili? Solisequia itaque, vt ille idem scribit, quomodocunque possunt ad Solem mouentur: Et si quis audire posset pulsationem ab illis in aëre factam ex circuitu & comitatu, profectò per eam sonum quendam erga suum regem aptè compositum facilè animaduerteret, qualemcunque potest planta peragere. Verum enimuerò in hoc herbarum censu penè omiserã, maluam, lotum pratensem, scorpioïdem & tithymalorum species aliquot: quarum comæ prono semper vertice cum Sole pergunt ab ortu ad occasum: tanta est auiditas sectandi sideris. Cuius amore, vsqueadeo rapi videntur, vt de florum dilatatione, contractionéque & motu, non minùs honoris ei tribuere censeantur, quàm homines genarum gestu, & labiorum agitatu illi exhiberent. Sed hîc Lotus altera, nimirum Ægyptia, non est silentio inuoluenda: cuius scapum & florem Theophrastus scribit quotidianum Solis exortum & occasum nosse. Nam vespere, vsque in medias noctes totus in Euphrate mergitur, vt ne quidem manu demissa inueniri possit: deinde vertitur, paulatímque surgit, & ab exortu Solis extra aquas emergit, suúmque florẽ patefacit & aperit, adeò vt ab aqua altè absit. Porrò, quid de

Vnde tam stupẽda naturaliũ sympathiarum miracula.

Mira de Loto Aegyptia.

Lunaria herba. admirabili planta illa æstimandum, quam ob id Lunariam vocant, quòd Lunæ motibus & mutationibus, mirâ sympathiâ subseruiat, & pro variis Lunæ formis, varias & ipsa figuras induat, si vera sunt quæ cum aliis multis tradit Hieronymus Cardanus. Quid præterea de cepa dicendum, aut cogitandum? quæ, vt est apud Plutarchum, decedẽte Luna reuirescit & congerminat, ea verò adolescente & crescente marcescit. Quæ res olim effecit, vt Ægyptij sacerdotes cepas non ederent: quòd solæ olerum omnium contra lunaris sideris incrementa, damnáque vires minuẽdi & augendi habeant contrarias. Siquidem omnia quæ crescente Luna gliscunt, eadem senescẽte tabescũt. Quod in ostreis apertè cognosces, nam in Lunæ iuuenta implentur, in senecta verò deplentur & inania euadunt. Licet itaque in hac inferiore mundi natura, aut, si mauis, in rebus terræ aspicere Solem, Lunam, & reliquas stellas: sed pro qualitate, vt diximus, terrenà: in cœlo verò cœlesti modo & natura.

Cur à cepis Aegyptij sacerdotes olim abstinuerint.

In animalibus & volucribus nonnullis, sympathiam, imitationémque, ac participationem quandam luminum, motuum, & virtutum cœlestium, particulariúmque astrorum elucere. CAP. IX.

AB arboribus & herbis nunc demum ad animalia quædã & volucres cõmodùm transeo: vt sympathias ex consensu & concentu cœlestis defluxus & participationis à superiore natura illis peculiariter congenitas, tyrones rerũ naturæ agno-

agnoſcant. Ordiemur itaque à volucri beſtiola & animalculo, quod Claudius Athenæus pilularium ſcarabeum appellat, alij ſtercorarium: quo nihil frequentius & admirabilius in tota rerum natura occurrit. Nam Solis & Lunæ congreſſum & nouilunium, ſecreta naturæ perſcrutantibus, hoc modo facilè indicat. Ex bubulo ſtercore, vel, vt Plinio placet, aſinino, particulam quampiam ab ortu ad occaſum tandiu pedibus verſat, donec in imaginem orbiculi, ſeu ſphærulæ abeat. Tum demum, facto humi ſcrobiculo diebus octo & viginti eam ſepelit, tantiſpérque occultat, dum Luna peragrato ſignifero ad intermenſtruum reuertens ſileat. Quo tempore orbiculum illum, ſeu pilulam aperit, & hinc ſiderum coitu denunciato, nouam prolem videt, quæ aliam naſcendi originem non nouit, autore Horo Apolline in Hieroglyphicis. De Ariete idem Athenæus tradit, quòd ad vtrunque æquinoctium cubandi rationem mutat. Nam ab autumnali æquinoctio ad vernum, in læuum latus iacens ſomno fruitur: à verno verò ad autumnale, in dextrum. Hîc præterire non licet Gallum gallinaceum, cuius mira cum Sole ſympatheîa, harmonia, & ſymphonia, nemini non eſt viſa, nemini nō audita & incognita. Siquidem ad omneis mundi angulos progredientem Solem, & tractus cœli omneis perluſtrantem, exortiuum, occiduum, & meridianum vtrumque, ſupra terram & infra, voce admodum vocali, plauſúque alarum, congratulantis modo, tam ſub dio, quàm intra denſiſſimos parietes alacriter ſalutat & reſalutat.

Miranda de ſcarabeo pilulario, aut ſtercorario.

Arietis & galli gallinacei mira ſympathia cum Sole.

Sed de Solari eius ſympathia paulò pòſt plura audies. Venio ad auem Plinio Parram nuncupatam : quæ eo ipſo die quo exoritur Sirius, ſeu Canis maior, fertur non apparere donec occiderit. Cui addo Orygem, feram ſic Ægyptiis vocatam : quæ in eiuſdem Sirij exortu, contrà ſtare fertur, eúmque fixis oculis contueri, & veluti adorare, donec occidat. Nec mirum, cùm etiam ſideris huius exortum ſentiant maria & terræ: multæ denique feræ & piſces expaueſcant : tunc feruent maria, fluctuant in cellis vina, mouentur ſtagna, & canes eo toto ſpacio, vt autor eſt Plin. in rabiem agi ſolent. Hîc, dum pręſens ſe offert memoria, prætermiſſum nolim, quòd rebus multis inferioribus eiuſdem ſpeciei, ſua etiam citra cœlum ineſſe obſeruatur ſympathia, non dicam viuentibus, ſed & mortuis. Nam aprorum carnes ſale conditæ, & ſaporem & colorem mutare agnoſcuntur, dum apri in venerem; furiáſque ruunt : quòd etiam in vinis florente vite deprehenditur. Sic pręſente interfectore, cadauer occiſi in vindictam ſanguinem fundit : & canis fœmina occiſo maſculo cane ex quo cóceperat abortire fertur : & ita de aliis multis quæ prudens omitto, vt animalium & volucrium ſympathias cum cœlo hîc perſequar. Auicula Linaria nuncupata, Gallis Linota, exoriente Canicula vocem remittit, ac ſenſim obmuteſcere pergit: quę antea admodum vocalis fuit : roſtróque vellicatis & excuſſis paulatim plumis quibus egregiè veſtiebatur, quodammodo ægrotans nouis induitur, conticétque, donec bruma appetat : qua ineúte, vocem

Mira de aue Linaria qua Gallis Linota vulgo dici ſolet.

vocem repetit, ac pedetétim extollit: prout Sol, gradatim Signiferū peragrãdo, ſupra hemiſphærium in proprio orbe attollitur: ſicuti nos totū ferè decennium ſumus experti: & hinc canicularis ſideris exortum multis dignoſcendum aperuimus, vnâ cum bruma, ſeu hyemali ſolſtitio. In Galerita, ſeu Alauda iam annis aliquot itidé ſum expertus, quòd exoriente Arcturo muta euadit, & ſolitum garritum continet. Sic Procyonis exortu Luſcinia vocem remittit, & illud ſuum pegaſeïum melos in futurum annum ſuſcitandum, in ſyluis conſepelit. Quod etiam de ſuo cucurritu facere obſeruatur Coccyx. Vireo auis, χλωρείων Græcis dicta, ipſo die ſolſtitij prouolat, nec antea comparēre fertur. Sanè dubium non eſt quin aliæ etiam plerę que animantes & volucres, ſuum quæque in cœlo agnoſcant peculiare ſidus, quo exoriente mouentur ad cantum vel taciturnitatem, mœſtitiam, vel hilaritatem, & alia cuique particularia. Sed de iis alibi per occaſionem ampliùs: ſequor itaque inſtituti noſtri penſum, & ſuperioribus ſympathiis, naturæue miraculis occultis addo Ælurum marem, ſeu Felem: quem Solis vices ſentire, mutaréque pupillas oculorum ſyderis huius curſu, obſeruabis. Siquidem in eius exortu protenduntur, meridie contrahūtur, occaſu verò obſcuriores hebeſcūt, ac per noctem, Sole Antipodas noſtros illuſtrãte, maximopere explicantur & acuuntur: id adnotante Horo Appolline in ſuis hieroglyphicis. Qui etiam tradit Cynocephalum animal, Simiis efferatius Æquinoctia hac ratione indi-

Galerita, Luſcinia, Coccyx, & Vireo, ſeu χλωρείων.

De Æluro mare, ſeu Fele.

care, quòd eo ipso die quo initiantur, vrinam interdiu duodecies reddat, noctúque toties: vnamquanque horam lotij perfusione declarans. Sed multò est admirabilius quòd ille idem Cynocephalus vsque adeò vices Lunæ orbatæ lumine & delitescentis dolet, vt toto interlunij tempore nec videatur, nec manducet, incredibilíque sympathia, ac si mundo raptum esset sidus, lugeat, & demisso in terram vultu, insolétem fateatur tristitiam: fœmina verò absentis refricans desiderium, eodem interlunio toto mœret, obortáque oculorum cæcitate, non prius ea liberatur, quàm menstruus sanguinis cursus erumpat. Verumenimuerò, hæc de Lunaribus, & aliquatenus Solaribus animantibus & volucribus satis erunt: vt quæ verè sunt solaria paucis attingamus. In his itaque primas tenent Leones & Galli, numinis cuiusdam solaris, pro sua natura, participes. Vnde, mirum est, inquit Proclus, quantùm inferiora in eodem ordine superioribus cedant. Hinc ferunt Gallum quamplurimùm à Leone timeri, & quasi coli. Cuius rei causam à materia, sensúue assignare non possumus, sed solùm ab ordinis superni contemplatione: quoniam videlicet pręsentia solaris virtutis conuenit Gallo, magis quàm Leoni. Id quod vel hinc apparet, inquit Platonicus Proclus, quia Gallus quasi quibusdam hymnis applaudit surgéti Soli, illúmque suo cantu aduocare videtur, quando ex Antipodum medio cœlo, ad nos deflectit. Inde nimirum, visi sunt nonnunquam dæmones solares leonina facie apparuisse: quibus dum

Mira & valde mirāda de Cynocephalo.

De Leonibus & Gallis mirāda.

Gallus,

Gallus, vt quidam volunt, candidus & cantans obiiceretur, repentè disparuerunt. Quod vnum inde procedit, quia quæ in eodem ordine constituta sunt inferiora, semper, vt diximus, superiora reuerentur, & illis liberè cedunt ac seruiunt. Qui plura volet, legat Opusculum nostrum Gallicè impressum, De mirabilibus Lunæ & variis eius secretis memorabilibus.

Inferiora in quouis ordine superioribus cedere & seruire.

Sympathia & harmonia quorũdam lapidum cum Sole Luna & alijs cælestibus corporibus. CAP. X.

NON solùm in herbis, arboribus, animalibus, & volucribus aspicere licet sympathiã, imitationem, & participationem quandam luminum & virtutum cœlestium, sed etiam in lapidibus & gemmis nõnullis. Sicuti in Helite lapide: qui, vt tradit Proclus, radiis aureis solares imitatur radios. Cui non admodum dissimilis fuit gemma illa, quam Hieron. Cardanus scribit fuisse in manibus Pontificis Clementis septimi. Nam aureolam habebat maculam, quæ iuxta Solis motum, singulo die oriens & occidens circumageretur. Nobis hîc tacẽdus non est lapis ille qui cornicularis Lunæ similis habetur, & ob id Selenites appellatur: quòd quadam sui mutatione lunarem motum, ac Lunæ metamorphoses insequatur. Qualis, eodem Cardano autore, fuisse memoratur apud Põtificem Leonem decimũ: nam pro varietate luminis Lunæ, ex cęruleo in candidum transibat. Sed multo mirabilior fuit ille, quem in nostris Lunæ secretis descripsimus.

Solaris gẽma Clemẽtis 7. Pontif.

Lunaris lapis mirus apud Leonẽ X. Pontificem.

Sic Helioſelenus lapis, hoc eſt, ſolilunaris, congreſſum Solis & Lunæ, vt teſtatur Proclus, quodā modo imitatur, & colore figurat. De Magnete lapide, terrâ maríq; notiſſimo, hîc multis diſſererē, niſi de eo alibi profuſè ſcripſiſſem, & luculenter oſtendiſſem quid fœderis, & ſympathici cōiugij agnoſcat cum ſtellis Cynoſuræ Saturniæ, ſeu polaris Vrſulæ. Quarum occulto ſpiramine, ſympathia, energeîa & defluuio ita recreari videtur, vt ferream aciculam, aut chalybeum ſtylum itidem Saturniū, & eius attritu delibutū, in nautica pyxide, vel ſolaribus horariis ſemper ad illas ipſas Cynoſuræ ſtellas, quaquaverſus moueris & vertas, tendere cogat & impellat. Sed in iis inferiorum corporum ſympathiis & harmonia cum ſuperioribus, verſatum ſatis. Quippe mihi tota percurrenda exhauriēdáque eſſet rerum natura, ſi integrè omnia perſequi vellem, quantum hac in re nauare poteſt humana induſtria. Vt itaque rem iſtam in compendium deducam, pro coronide id habeto: Animalia, vegetabilia, & mineralia, ratione ſpecificæ aut indiuidualis conſtitutionis, in generatione illorum, virtute aliqua cœlitus imbuuntur, quæ certis rebus adeò quandoque eſt familiaris & amica, vt vltrò eis ſocietur, pareat & obſequatur: aliis verò, adeò contraria & inimica, vt earum operationes ſiſtat & liget. hinc nimirum illæ ſympathiæ rerum & antipathiæ, ad hęc phyſicę ligaturæ, & alia. Addā ex doctiſs. medico Ioanne Langio, quòd veteres affirmant quaſlibet res mundi naturales à ſtellarum radiis propriè illis dicatis, peculiari chara-

Magnes, & vnde eius vis & facultas.

Pulchra & notatu digniſſima.

ctere

ctere virtutis earũ participe insigniri. Quam quidem virtutem diffundunt in res quibus applicantur. Sic diuinorum plena sunt omnia: terrena quidem cœlestiũ, cœlestia verò supercœlestium, procedítque quilibet ordo rerum vsque ad vltimum: vt paulò pleniùs, ac planiùs demonstraturi sumus in nostris occultorum naturæ Commẽtariis. Si quis tamen interim rerum istarũ tota, vt ita dicã, exemplorũ plaustra desiderauerit, consulat, si videbitur, lucubratiunculas nostras de naturæ arcanis: de Lunæ secretis, cum libro nouem Centuriarum de memorabilibus, iucũdis & vtilibus: quę propediem in iustam Chiliadem auctæ, lucem videbunt locupletiores.

Libri Autoris de arcanis naturæ.

Naturæ societatem, concentum & sympathiam non solùm relucere in animalibus, metallicis & stirpibus, sed etiam in rebus aliis. Vbi de nonnullorum ad certas corporũ partes sympathia & antipathia.

CAP. XII.

NEQVE verò ipsis animalibus solùm inter se, ipsorúmq; partibus quibusdam, & plantis, necnon metallicis secum, aut cum aliis magnam esse naturæ cognationem, sympathiam & societatem, tibi persuadebis: sed, quod etiam saxeus admiretur homo, sonis ipsis, aut corporibus sonoris inter se, adeò vt sibi similibus delectari videantur. Quauis enim fide testudinis, quo voles modo temperata, si correspondentem ei in testudine alteram ipse contemperas intendendo & remittendo, vbi sonum edet similem sono

Corporibus sonoris magnam esse sympathiã inter se.

alterius tibi antea nō audito, altera illa velut exultans, & consentiēs, illico subsilit & cōcutitur, tanquam simili suæ attemperatuţ sono gaudēs, & eandem harmoniam affectās: eam verò ipsius concussionem festuca tenuis fidi illi seu chordæ antè apposita, apertè declarabit. Multo maiora his miracula Deus Opt. Max. etiam in hac fæce rerum mundanarum excitauit, quorum fidem certissimam experientia quotidiana perficit: qua sola percipiuntur quę nec rationé vlla inuestigari possunt, nec methodo certa planè constant. Quanuis leuiter nimis in quibusdam reddere conetur Galenus eorum rationem, vt in pæonia & & alysso: sed de iis alibi per occasionem, vt instituti nostri filum & pensum trahamus. Sunt nonnullarum rerum proprietates ad certas corporis partes potiùs quàm ad vniuersum corpus ex sympathia vel antipathia sæpenumero comparatæ: vnde partium aliæ aliis gaudent iuuanturque alimentis. Sic cerebrum animantium, cerebro gaudet: pulmo, pulmone: iecur, iecore: stomachus, stomacho, & cor corde: ídque ob quandam substantiæ cognationem & sympathiam. Ita & in deleteriorum genere, quædam proculdubio vnicuipiam particulæ, non aliis aduersantur, suntque pestifera. Quòd cùm Galenus cognitum haberet, fassus est à marino lepore pulmonem vnum ex omnibus corporis particulis, & à canthafidibus vesicam solam exulcerari. Similis est & eorum ratio quibus vis data est corporis particulas expurgandi. Quædā enim iecur, quædam lienem, quædam pectus pulmonésque, nonnulla

Proprietates rerum nonnullarū ad peculiares corporis partes comparari.

nonnulla verò caput ſolum purgāt. Alia renum, alia veſicæ calculos atterunt: adeò in omni naturæ parte nihil eſt, quod non peculiari & occulta proprietate vigeat. Quòd ſi multa inter ſe cōferamus, neceſſe eſt omnino has illorū proprietates, aut ſimilitudine quadam & affinitate cōſentire, aut diſſimilitudine atque diſſidio aduerſari. Hinc nimirū ſympathiæ & antipathiæ, hoc eſt, amicitiæ & inimicitiæ, conſenſiones & diſſenſiones profectæ ſunt, rebus omnibus inſertæ: arcanæ quidem illæ & abditæ, quas Natura nos mirari potiùs, quàm ſcire voluit, de quibus nunc demum fuſiùs nobis agendum.

Medicamētorū facultates quaſdam certas duntaxat corporis partes repurgare.

Sympathiam vel antipathiam efficere quòd medicamenta alia alias corporis parteis aut iuuent, aut lædant. CAP. XIII.

Si tibi magnetem ferrum attrahere proponam, ſi ſelenitem (quē annulo clauſum ſe vidiſſe teſtatur Fernelius) nudæ cutis contactu ſanguinem quauis è parte manantem ſiſtere, quam vim nonnulli iaſpidi concedunt; ſi felem nepita herba ſibi mederi: ranas, bufones, lacertas & ſerpentes herbæ ranunculi eſu & contactu recreari: ibim auem ſerpentibus paſtam origano ſalutem quærere, muſtelam cum regulo dimicaturam ſe ruta munire, confixum ſagitta ceruum dictamno ſibi opitulari: hæc inquam, aliáque eius generis ſexcēta ſi tibi proponam, in promptu erit quod dicas, ea totius ſubſtantiæ ſimilitudine & amicitia, quæ noxia ſunt attrahēdo talia efficere: Contrà,

Animantia herbis ſibi peculiariter ſuccurrētia, per ſympathiam.

ſi ob oculos tibi conſtituo magnetem, vel allio Ægyptio perunctum, vel adamantis veri præſentia, ferrum non allicere: filicem vaneſcere, quæ copioſa in ambitum arundine obſita ſit, & contrà perire arundinem quam obſepiens multa filix in orbem cinxerit: quercum iuglandi proximè aſſidentem, aut braſſicam cyclamino oppoſitam exareſcere, cicutam vino, tanquam veneno inſperſam, emori: oleam quercus ſcrobe poſitam extingui: fraxini vmbram ſerpentes non ferre, & quàm longiſſimè fugere: vitem clauiculis ſuis braſſicam non complecti, & in diuerſam partem ſe inflectere: ſapphirum anthracẽ aut fugare, aut diſcerpere: cancros fluuiatiles à rabido cane demorſis opem ferre: ſcordium & centaureum minus lętalium beſtiarum ictibus, terram Lemniam hauſtis cantharidibus, & contra marinum leporem ſuccurrere, armenum lutum à peſtilentibus febribus vindicare: iam habes quod dicas hęc antipathia & totius ſubſtantiæ diſcordia fieri: qua etiam alexiteria omniá nos tutos reddũt. Cæterùm, ſi pæoniam tibi affero infantium collo ſubnexam comitialem morbũ ſanare (quòd de maſcula pro comperto & experto habetur) quam totius ſubſtantiæ aut conuenientiam, aut repugnantiam dabis quæ id efficiat? Si, quòd pituitam quæ mali cauſa eſt, è cerebro ſimilitudine ſubſtantiæ detrahit, & ob id medetur, cur non etiam aliis quibuſque à pituita morbis ſuccurret? aut cur non eaſdem vireis obtineant medicamẽta quæcunque pituitam elicientia? Scio Galenum hanc illi vim idcirco aſſignare, quòd exſiccandi facul-

Ex antipathia lædi multa ab aliis.

Dubitatio non parua nec inutilis.

facultate polleat, tenuísque sit substantiæ, ac propterea ventriculorum cerebri anfractus expediat: Sed cùm plurima alia extent maiore siccitate prædita, tenuiorúmque partium, cur illa vim pariter eandem ad morbum comitialem non accepissent? Itaque, isthæc eius vis non è manifestis qualitatibus, sed à totius substantię dissidio atque repugnantia dimanauit, qua non pituitę, non humoris lentori, sed morbi comitialis essentiæ, quæ latens, occultáque est, prorsus aduersatur. Ex his & superioribus cõcludimus cum doctis medicis, experientiam medicamentorum, ratione potiorem esse.

Experiẽtiã medicamẽtorum, ratione potiorem esse.

Res mundi quamplurimas omnis generis, naturalem amicitiam & sympathiam inter se habere euidentem, vnde earum virtutes occultæ solent oboriri & explorari. CAP. XIIII.

RERVM amicitiæ nihil aliud sunt quàm motus quidam & inclinationes naturæ rerum in se inuicem, appetendo tale quid vel tale, si absit, & moueri ad illud nisi impediantur, tum demum quiescere in adepto. Sunt itaque inclinationes amicitiæ in vegetabilibus, mineralibus & aliis. Qualem habet magnes in ferrum, succinum in paleas, aëtites in partum, achates in facundiam. Sic naphta ignem illico ad se rapit, vt etiam aproxis herbæ radix. Similis inclinatio est inter palmam masculinam & fœmininam: nam vbi ramum vnius, ramus alterius tetigerit, com-

Quidnã dici debeãt rerum sympathia ẽt amicitia.

Digna notatu & admiratu de palma.

plicant se in mutuum amplexum, nec fructum fert fœmina absque masculo: Sic amygdalus solitaria & absque aliarum cõsortio, minus fœcunda est. Hoc modo amant vites vlmum & apium, odio habent brassicam, raphanum & hederam. Oliua myrtum mutuò diligit, similiter oliuam ficus. In volucribus & animalibus summa est etiã amicitia: vt inter merulam & turdum, cornicem & ardeolam, pauones & columbas, sues & picas, turtures & psittacos. Rursus, amici sunt musculus & balena. Nec solùm animalium inter se amicitia est, sed etiam cum alijs rebus, vt cum plãtis, metallis, lapidibus & vegetabilibus. Sic feles sine catus gaudet nepeta herba, ad cuius affricationem interdum concipere traditur, ac defectum masculi supplere. Equæ in Cappadocia certo venti flatui se exponunt, atque ex eius afflatu & attactu concipiunt. Sic ranæ, bufones, serpentes & venenosa reptilia quæque gaudent in planta quæ apium risus dicitur: de qua si quis comederit, ridendo mori fertur. Testudo vbi à serpente venatur, origanum manducat, & euadit. Ciconia in serpentium pastu salutem ab eodem sibi quærit. Sic mustela contra regulum pugnatura, rutam comedit: vnde cognitum est rutam & origanum vires habere aduersus venena. Hinc nimirum certis animalibus naturalis quædam inest peritia ad sibi prospiciendum: Bufo etenim quando alieno morsu & veneno vulneratur, illico rutam vel saluiam adire solet, & vulneris locum ei affricare, ac ita sese à periculo liberare. Ex quo periculosum censetur

Sympathiã non solum esse cum animalibus inter se, sed etiam cum rebus aliis.

Mira & nequaquã spernẽda de saluia & ruta.

ſetur, plantam vtramque illotam & inexpiatam ori admouere, guſtare vel olfacere: ſicuti de pulcherrima hiſtoria oſtendimus & docemus Centuria prima noſtrorum memorabilium & arcanorum. Quæ prope diem, aſpirante Deo, in Chiliadem excreſcent, vt antea diximus, rebus vtilibus, iucundis & raris locupletem. Sed in viam redeo. Occultas rerum virtutes multas & morborum remedia homines à brutis & volucribus certum eſt didiciſſe. Chelidoniam in primis viſui ſalutarem eſſe monſtrauerunt hirundines: nam ea oculis pullorum ſuorum læſis medentur: & pica dum ægrotat, lauri folia in nidum deportat, ac ita conualeſcit. Similiter palumbes, graculi, perdices, merulæ iiſdem lauri foliis annuum faſtidium purgant: eadémque antidoto corui, chamæleontis venenum extingunt: & febricitãs leo vorata ſimia cõualeſcit. Vpupa, vua paſta ægrotans, adianto ſibi medetur. Sic dictamnũ herbam ad extrahendas ſagittas vtilem eſſe docuerũt cerui, itidem & Cretenſes capræ. Sic ceruæ paulò ante partum purgant ſe herba quæ ſeſeli dicitur: ſimiliter phalangio tacti cancros edendo, ſibi ſalutem accerſunt. Sues à ſerpentibus læſæ, eodem ſibi paſtu medentur: & corui cùm venenatos ſe ſentiunt, quercũ, vel, vt alij tradunt, cornatiam quærunt pro medela. Elephantes chamæleonte deuorato, ſibi oleaſtro ſuccurrunt: Vrſi à mandragora læſi deuoratis formicis euadũt: Medentur ſibi anſeres, anates, cæteræque aquaticæ aues herba ſideritide: canes gramine: columbæ, turtures, gallinæ, helxine herba: grues iunco: Pan-

Morborũ remedia multa a brutis inuenta.

Rerũ multarũ certa inter ſe antipathia, ſympathia & auxilia.

theræ contra aconitum humanis ſtercoribus ſibi auxiliantur: Apri, hedera: cerui, herba cinara. Habent itaque res mundi quamplurimæ certam inter ſe amicitiam & ſympathiam. Nunc demum de earundem rerum inimicitiis & antipathiis inter ſe, nobis agendum.

Res mundi quamplurimas naturali odio & antipathia inter ſe diſsidere. CAP. XV.

Quid rerũ antipathiæ, odia & inimicitiæ.

RERVM odia & antipathiæ nihil aliud ſunt quàm motus quidam & innatæ propenſiones ad cõtrarium fugiendum, expellendum, perhorreſcendum, fugandum, ac propugnandum: ſúntque veluti inimicitiæ quædam naturarum, & imperioſa contrarietas: quo ſe habet modo theriaca in venenũ, ſapphirus in anthracem, ardores febriles & oculorũ ægritudines: amethyſtus in ebrietatem, iaſpis in ſanguinis fluorem & noxia phantaſmata: rhabarbarum in bilem flauam: ſmaragdus & agnus caſtus in libidinem: achates in venena: pęonia in morbum caducum: corallus in atræ bilis illuſiones & ſtomachi dolores. Similis eſt formicarum odioſa inclinatio ad origanũ, alam veſpertilionis & cor vpupæ, quorum præſentiam cane peius & angue fugiunt & oderunt. Sic oleum anerſantur cucumeres, adeò vt in hamum ſeſe recuruent, ne illud attingant: Ad hunc modum verus adamas cum magnete in tantum diſſidet, vt iuxta poſitus non ſinat ferrum attrahi: Apium raninum fugiunt oues, tanquã illis mortiferum: cuius rei ſignum natura pinxit in hepatibus

Mira de formicis, cucumeribus, ouibus, & magnete.

tibus ouium, in quibus apij ranini figura naturaliter descripta apparet. Capræ similiter ocimum sic oderunt, vt nihil sibi ducant pestilentius. Rursus inter animalia dissentiunt mures, feles & mustelæ: vnde si in formandis caseis cerebrum mustelæ coagulo addideris, à muribus, vt experti tradunt, nequaquam attingentur, nec vetustate corrumpentur. Sic scorpionibus contrarius est stellio, adeò vt visu quoque pauorem eis inducat, & frigidi sudoris torporem: itaque in oleo stellionem suffocant, putrefaciunt & coquunt nonnulli, & cum eo ictus scorpionum salubriter inungũt. Summa est etiam inimicitia inter scorpiones & mures: ex quo mus punctura scorpionis superpositus eam curare traditur: sunt præterea inimici scorpius & crocodilus, nam mutuò se perimunt. Fertur quoque serpentibus nihil æquè aduersari, quàm cancros: ob id sues à serpentibus percussos cancrorum pabulo sibi mederi ferunt. Si quis crocodilum ibidis penna tangat, immobilem reddet. Otis auis viso equo euolat, & ceruus viso ariete fugit, perinde atque visa vipera. Elephas audito grũnitu suis timet ac perhorrescit: quod etiam faciunt leones ad galli cantum, vel eius præsentiam: & gallinæ ad volatũ miluij, vt etiã columbæ, accipitris. Pantheræ iure gallinarũ perunctos non attingunt, prçcipuè si allium fuerit ei incoctum. Sunt & graues inimicitiæ inter vulpes, cycnos, tauros & cornices. Inter aues quoque perpetuum gerunt bellum miluius & coruus, cornices & noctuæ, chlorio & turtur, cerui & dracones. Inter aquatilia

Pulchra de mustela, caseis, stellione, & muribus.

Mirabilis naturarum quarũdam in animalibus antipathia & dissidium.

Odium & antipathia aquatiliũ. summum est dissidium & antipathia delphinis cum balena, & congris cum murena: Polypum in tantũ locusta pauet, vt si iuxta videat, omnino moriatur. Locustam & polypum lacerant congri: & pantheris in tanto metu est hyęna, vt ne conentur quidem resistere: Hinc tradit Orus Apollo in suis hieroglyphicis, quòd si quis pelle hyęnæ armatus medios feratur in hosteis, à nullo lędetur, & intrepidè quaquauersum excurret: id quod credere, quàm experiri mallem. Implacabiles inimicitias itidem habent oues & agni cum *De lupo & ouibus notatu digna.* lupis: adeò, quòd si lupina cauda, pellis, vel caput supra præsepe ouium suspendatur, præ pauore nec comedunt, nec mouentur oues dum ibi fuerint: vt de expertis audiui. Referunt alij, quòd si tympana duo fiant, vnum ex ouina pelle, alterum è lupina concinnatum, pulsentúrque ambo, vix audietur ouilli tympani sonitus, tãta dissidét antipathia. Acãthis auicula, nobis carduelis nuncupata, quòd inter cardueta viuat & niduletur, asinos spineos flores deuorãtes summopere odit. Oliua quoque cum meretrice adeò dissidet, quòd si ab ea plantata fuerit, vel infructuosa perpetuò manet, vel omnino, vt aiunt, arescit: ob id virginea manu coli expetit. Nihil æquè timet leo atque faces ardentes, nec vlla re alia; atque his domari creditur. Sic lupus neque ferrum timet, ne-*Leones & lupos edomantia.*que ensem, sed bene eius tinnitum, aut lapidem: nam facto ex lapide vulnere vermes gigni solent, à quibus pessimè habet. Equus camelum adeò reformidat, vt ne faciem eius intueri sustineat. Elephas furens viso ariete mitescit: & coluber nudum

nudum hominem timet, quem vestitum persequitur. Taurus ferociens si ficui alligetur, conflaccessit impetus eius. Electrum omnia trahere fertur præter ocimum & quæ oleo sunt perlita, cum quibus naturali quadam antipathia dissidet. Verumenimuerò, de his abundè satis, vel plura fortassis quàm opus fuerit: Nam & priscorum & recentium libri, cum alij, tum nostri, tota rerum istarum, vt ita dicam, plaustra lectori exhibent. Itaque verbum non amplius addam.

De memorabilibus sympathijs & antipathijs ubi scripsit autor.

A cœli motu & astrorum pulsante vbique agitatione & energia, res inferioris naturæ varijs modis ex sympathia affici. Adhæc, certos morbos certis stellis mancipari, vigeniéque earum impulsu surgere, cessante verò cessare: CAP. XVI.

Si cœlestis mundus animæ, terra verò corporis typum & analogiam præse fert, séque medium vtrique præbet aër animabilem, vt Academicè loquar, siderum influxum quacunque terræ gremium patet transmittens & disseminans: Si in mundi meditullio sita est terra, superiorum omnium corporum vim in se recipiens & admittens, tantóque cœli coniugio (aëre paranymphum agente) fœcunda & grauida facta, omnia suo tempore parit & educat: Si elementa superiorum corporum diuersitatem, motúmque irrequietum sentiunt: quid mirum si mutationum istarum & agitationum participes quoque fiant res omnes quæ ipsis elementis constant, ac ex illis vitam ducunt, & in terræ gremio aluntur?

Aër inter cœlum & terram, veluti paranymphus coniugalis.

Quis non videt aëre mutato, corpora quæ in eo continentur, itidẽ mutari, illúmque ipſum aërem qualis à ſtellis elaboratus fuerit, ab iiſdem corporibus, velint nolint, continuò hauriri, ſorberi & excipi? Quis non intuetur quotannis tales eſſe vini, olei, tritici, fructuum & rerum aliarum prouentus, quales aër, imperante cœlo, promouet? Quis hoc negauerit, quod natura docet, agricolæ confitentur, & res ipſa ob oculos ponit? Quis, niſi fuerit talpis cæcutientior, non obſeruat annis ſingulis, ſingulos fructus & flores ſimili prouentu nequaquã nobis redire & adeſſe?

Annis omnibus naturam nõ producere omnia.

Superiore anno 1575, roſarum ſumma hîc fuit inopia: præſente verò 1576, indicibilis vbertas. Sic anno eodẽ pyrorum ingens fuit raritas, ſequẽte verò malorũ, aut ſi me vis familiariùs loqui, pomorum: nam malorum, quæ ipſe miſerrima vidi, popularium & agreſtium, indicibilis fuit fœcunditas, & deplorandus prouentus, ob inteſtina bella, peregrini militis aduentum, fraternas acies, & latentia principum virorum odia, quæ hinc inde & domeſticorum & externorum peditum, equitúmq; copias innumeras cogebãt, à quibus & domi & foris nihil tutum eſſe potuit: ita volente & permittente eo, cui data eſt omnis poteſtas in cœlo, & terra, necnon imperium ſummũ in homines, regna, reges & principes viros. Sed in viam redimus, fatemúrque cum Theophraſto, cœlum non agrum producere.

Vnde fiat vt annis omnibus eadem non proueniant.

Ex quo factũ videas, vt annis quibuſdã Flora ſuos partus vbiq; non videat, aut ſaltẽ parcè alat, adhæc Pomona, Bacchus, Ceres, & ita de reliquis. Sic armenta

quãdoque laborant & periclitantur: alicubi greges, hîc volucres, alibi pisces, & ita deinceps. Petis vnde id? consule Claud. Ptolem. ex eo statim audies, quòd in rerum generatione & corruptione, formæ inferiores afficiuntur à cœlestibus formis. Prodeunt itaque iam dicta, vt causas alias taceam, à certo peculiarium siderum fœdere, vel odio, aut si mauis sympathia & antipathia cum rebus eis mancipatis & addictis: quorum equidem siderum, affectæ res illæ partus esse agnoscuntur, vt anteà scripsimus. Hinc nimirum videas certis annis magnam pecudum luem, reliquo animalium grege superstite: aliis porcorũ, boum, equorum, canum in rabiem actorum, & similium. Causa itaque est in sympathia vel antipathia corporum inferiorum cum superioribus, vt in Opusculo de signis & causis sterilitatis ostẽdemus. Verum enimuero, ne longiores in hac parte simus, quæ doctis omnibus est confessa, concludemus res inferiores, nedum sola hominum corpora, à cœli motu & astrorum agitatione, radiis & impulsu, variis modis affici: tãtáque vi sidereum chorum pollere, vt nec temerè, nec ab re, stellarum meatus, naturas & progressus obseruẽt eruditi & prudentes quique, sed omnium maximè circũspecti medici: laudabili sanè Hippocratis & Galeni imitatione. Qui longo vsu, comite summa rerum cœli doctrina, nouerant multos morbos statis temporibus, voluente cœlo & annuẽte Deo, surgere & cadere: siderúmq; vibratu agitatis humoribus, & nescio quo fermento nouo imbutis, veluti postliminio recur-

Res inferiores variis modis affici à cœli motu & astrorũ agitatione.

rere, & viā ire ac redire. Sic, qui morbo comitiali conuelluntur & corruunt, cùm inchoatur Luna, vel impletur, magna parte huic morbo inuoluūtur: cœli ſtatu, vt ſcribit Leuinus Lemnius fere auſtrino & nubilo, ipſóque Lunæ ſidere in his ſigniferi partibus obambulante, quæ reſpiciunt membrum in quo deliteſcit humor, qui morbo cauſam præbet, & ſeminarium fouet. Hinc nos epilepticum vnum, cuius morbus cerebro eſſentialis erat, peculiaribus nobis remediis, citò ac facilè curauimus, dum Luna per Arietem incederet, & idoneum cœli locum occuparet: fœlicibus ſtellis ſociata, vel ab iiſdem auſpicatò recepta & illuſtrata. Duos præterea alios eadem epilepſia per conſenſum partium aliarum & ſympathiam correptos opportunè liberauimus, purgato corpore & impoſitis remediis idoneis, partibus illis vnde aura teterrima (prima mali labes & origo) eiúſque raptus & vibratus velut vaporis & venti cuiuſdam frigidioris, per continuatas parteis ad cerebrum tollebatur: maximè Luna verſante in ſignis quæ membris & partibus illis imperabant. Quæ quidem Luna, quantarum ſit virium in hæc inferiora, & quàm ſedulò ac vigilanter ſummóque iudicio conſulenda, obſeruanda & cognoſcenda viris medicis, qui ſeriò & tutò medicinam facturi ſunt, ne quæſo audire pigeat doctiſſimum Philoſophum, Medicum peritiſſimum & Mathematicum præſtantiſs. Cornelium Gemmam Louanienſem, hiſce de rebus acutè, & ſuo more, diſertè, ad hunc philoſophantem modum.

Morbi epileptici curatio medica & astronomica.

Lunā summè obseruādam esse in opere medico.

In medendi arte & medico opere, obseruationes Lunæ summopere necessarias esse, præstantissimúmque vsum in rebus multis, nedum medicis, habere.

CAP. XVII.

LVNARIVM periodorum vberrimus patet vsus, cùm in multis, tum maximè in arte medica: Quod post coniunctionem Lunæ & Solis commodiores fermè sint venæ sectiones, purgationes per vrinam atque sudorem, & quæcunque à centro corporis ad eiusdem circumferentiam ducunt, propter motus lunaris analogiam: contrà, digrediente Luna ab opposito Solis, magis & vomitus solent succedere, & alui purgatio, si modò & ægri vires, morbi tempus, & vtriusque natura vniuersa consentiat: nec interim obsint consensus malefici, vel irradiatium siderum loca: Nec dubiū quin & planetæ, vel stellæ cæteræ pari prorsus ratione ad Solem collatæ, vel ad eclipticam, vires vbique particulares conferant. Vnde in rebus naturæ arcana plurima colliguntur: præsertim quæ in dierum criticorum ambiguo lapsu, in excitandis tempestatibus cœli & popularibus morbis, in adhibendis humano corpori salubribus medicamentis exigi consueuerunt. Sed relictis stellis ad Lunam redeo: qua decrescente, lumen minuitur, quò ad aspectum nostrum: augetur tamen & illud idem & virtus, quò ad Lunam ipsam. Vnde robustior est Solis actio in Lunam, & Lunæ in terras: tametsi reflexionis anguli tum sint minores ex Luna in terram: eo quòd conuersionis Lunæ ad Solem circa nouilunium semper

Periodorū Lunæ vsus & obseruatio.

Pulchra & animaduersione, obseruationéque dignissima.

ſit angulus maior. Vnde cùm actio omnis, vel paſſio per mutuò ſibi occurrentes angulos fiat, præſertim ex ea agentis corporis parte, quæ à principio ſuo ſit illuſtrata, habebunt ſe quoque ſimiliter & motus gemini in corporibus rerum ſubditarum, præſertim ſtirpium & animantium. Nam, cùm anguli reflexionis coguntur, cuncta ab exterioribus introrſum fluctuat magis, fiúntq; robuſtiora ſingula. Quod in hybernis tẽporibus ex nobis innato calido liquet. Cùm anguli diſperguntur, fit magis oppoſitus motus, eneruántúrq; vires: quare, & per acceſſus Lunæ ad Solem, Lunæ influxus eſt vehementior: per digreſſus autem, imbecillior multò. Nam & aqua ſe magis effundit ſub plenilunium, ſanguis animantium inundat latiùs, medulla oſſium, arborúmque verſus extrema propagatur. Qualem tamen vibrationem neceſſitate quadam & languor ilico, & agentis roboris diminutio comitatur: quod ſimul in mundi rebus quibuſlibet eſt manifeſtum. Rurſus, per acceſſum Lunæ ad Solem, vel Solis cõuerſionem à tropico Capricorni, ad tropicum Cancri, fit quidam conceptus virium: per oppoſitos verò receſſus vtriuſque, fit partus eorum quæ ſunt antè concepta: vnde & ratio patet, cur tempus plantandi, ſerendíque, ſub decrementa Lunæ magis ſit opportunum: quia nimirum conceptus plantarum reſpondet conceptui Lunæ, & partus partui. Deinde, quia robuſtiora ſunt omnia & vegetiora coacto calido cum humoribus, atque ſpiritibus verſus penetralia, quàm vbi diffuſa, vel exhauſta propemodum expirarint. Nam

Demonſtrationes & cauſæ ingenioſiſſimæ.

Quando & quomodo robuſtiora fiant corpora & alia.

licet

licet ſemina magis intumeant ſub plenilunium, non fit id ipſum adaucta ſubſtãtia per acceſſionẽ alterius, ſed explicata potiùs per rarefactionem quãpiam, quæ citò quidẽ & violento impetu fertur in ſubiectum patiens, verùm propter agentis extremã diſſolutionẽ, quà ſimul & ſe cõſumit, & ab aduerſa rei paſſibilis actione cõteritur, celerrimè exoleſcit. Itaque, per decreſcentẽ Lunæ quadraturã, quia virt⁹ ſeminalis eſt robuſtiſſima, atq; in præcordiis viget, tutò interea ſemen cõmiſſum terris putreſcit atque corrumpitur, extima ſui circumferentia ſcilicet, qua ſeſe miſceat virtuti terrę cœlíq;, vt per hanc vnionẽ poſtea vita influat, ſub idem tẽpus quo Luna Soli congreſſa nouas incipiat ſoboles parturire. Hæc ad verbum in arte ſua cyclognomica φιλοσοφώτατος, ἰατρότατος, ϗ ἀςρολογώτατος ille meus CORNELIVS GEMMA Louaniẽſis, CORNELII hodiernorũ mathematicorũ & medicorum verè GEMMAE Coryphæus. Quem iure bono, meũ nominare & *ſumma &* poſſum & debeo: cũ ille tot prę̨claris ſcriptis ſuis, *immortalis* me ſuũ palàm prędicet: ob mutuã fortaſſe ſtudio- *amicitia cũ* *Autore.* rum, vtinã etiam ingeniorũ, ſimilitudinẽ: quæ, vt inter nos communis habetur, ita mutuam ac immortalem amicitiam conciliet oportet: itaque

» *Sum mi Gemma, tuus, quando meus eſſe fateris:*
» *MiZaldus Gemmæ ſemper amicus ero.*
» *Semper amicus ero, mihi fidito, Gemma diſerte,*
» *Dum reget æthereus corpora noſtra vigor.*
» *Et ſi ſunt aliquid manes, vt credimus eſſe,*
» *Iſte meus nulla morte peribit amor.*
» *Vera loquor, nihil effingens: ſi mentior autem,*
» *Summa ſit hæc in qua mentior hora mihi.*

A cœlesti harmonia, inferiora quæque harmonicè contemperari. & cœlorum munus vsque ad stirpes, animalia ac lapides ex quadam sympathia, vt monstratum fuit, descendere. CAP. X.VIII.

COELVM concentu, motionúmque concinnitate plenum esse, antea ostendimus: Deinde, vt scribit Proclus, numina nobis superiora harmoniæ cœlitus procedentis participia sunt: Post hæc, hominum vita rectè disposita, morum consonantiam actionúmque cōcinnitatem inde suscipit. Eorundémque cœlorum munus vsque ad bruta, plantásque ac lapides descendit: nam hæc quoque dictæ harmoniæ, naturaliter sunt capacia & participia. Superi etenim harmonica ratione mundana omnia continent atque perficiunt, & se inuicem ad mundum contemperandum accommodāt. Quod dum priscis Ægyptiorum sacerdotibus, & Assyriorum magis (hoc est sapiētibus) perspectum esset, dum in rebus mundi inferioris cœlestium harmoniam considerarent, dum in sublunaribus materiis sympathiam quandam, &, vt ita loquar, compassionem, assensum & cognationem aliorum ad alia, & manifestorum ad vires occultas inuenirent ac obseruarent: in summa, dum omnia esse in omnibus intelligerent, sacram quandam scientiam & occultam mysticámque philosophiam condiderunt, quam Naturæ magiam nuncuparūt. Animaduerterunt enim in infimis suprema latitare, & in supremis infima: In cœlo quidem terrena, modo cœlesti, in terra verò cœlestia, sed modo terreno.

Harmoniæ cœlestis plena esse omnia.

Aegyptij sacerdotes & Assyriorum Magi.

Priscorum magia naturæ, seu naturalis.

Nam

Nam vnde putamus plantas illas quas heliotropas nominant, id est solisequas, ad Solis motum versus ipsummet Solem moueri & conuerti, & selenetropas, seu Lunisequas, ad Lunam? Sanè cuncta precantur, hymnósque concinunt ad sui ordinis duces: sed alia quidem intellectuali modo, alia rationali, alia naturali, alia verò sensibili. Itaque, solisequa quæuis quomodocunque possunt mouentur ad Solem: ac si quis posset audire pulsationem ab eis in aëre, vt antea scripsimus, circuitu factam, profectò illum quendam eiusmodi sonum erga regem suum compositum animaduerteret, qualemcumque possunt plantę aut res aliæ solares conficere. Quamobrem, in terra quidẽ licet aspicere Solem, Lunam & astra alia, sed pro qualitate terrena: in cœlo autem, plantas, lapides & animalia, pro cœlesti natura. Quæ quidem veteres contemplati, aliis cœlestiũ vireis, aliis terrenorum adhibuerunt. Vnde virtutes diuinas in locum inferiorem ob quandam similitudinem deduxerunt: Ipsa etenim similitudo sufficiens causa est ad res singulas inuicem ligandas. Si quis enim cãnabim, vt tradit Proclus, calefaciat, deinde subigat lucernæ proximæ, etiã si non tangat, videbit subitò accensam cannabinam stupam, quamuis non teigerit ignem, accensionémque desuper ad inferiora descendere. Cõparemus itaque cãnabim calefactam cognationi cuidam inferiorum ad superiora, eius verò propinquationem ad lucernam, opportuno vsui rerum pro tempore, loco & materia: processum ignis in cannabim, præsentiæ cœlestis luminis ad

In infimis suprema esse, & in summis infima.

Pulchra cõparatio pro sympathia superiorum & inferiorum.

id quod poteſt capere: accenſionem denique cānabis, materialium illuſtrationi, quæ deinde ſurſum feruntur inſtar accenſę cānabis ob quandam ſeminis diuini participationem. Vt autem ſummatim dicam, alia ad motum Solis reuoluuntur, ſicuti plantæ quas antea enumerauimus, & inde mirabiles virtutes à Sole excipiunt: alia figuram ſolarium radiorum imitantur, vt palma & dactylus; alia igneam Solis naturam, vt laurus: alia aliud quiddam &c. Quod & Lunæ, & planetis, aſtríſque reliquis pro tua prudentia prudenter aptabis, ne tibi ſim repetendo moleſtus, & manum de harmonica hac cœli & terræ tabula tandem tollam: calamum, aut, ſi mauis, penicillum tranſlaturus ad depingenda & tibi tranſcribenda rerum cœli PARADOXA non iniucunda nec inutilia. Id quòd libentius facturus ſum, ſi iſta libenter acceperis & boni conſulueris.

Solares arbores aliquot.

Autoris PARADOXA rerum cœli.

FINIS.

ERASMI ROTERODAMI,
De varia rerum omnis generis Sympathia & Antipathia, Dialogus pulcher & eruditus.

EPHORINVS, IOANNES.

EPHOR.

SÆPENVMERO mecum admirari soleo, quem Deum in consilium adhibuerit Natura, quum in omni rerum genere misceret amicitias & inimicitias quasdam arcanas, nec vllis causis euidētibus probabiles, nisi quòd hoc spectaculo videtur fuisse delectata: quemadmodum nos ex commissis gallis & coturnicibus voluptatē capimus. IOAN. Nondū satis percipio quid velis dicere. EPHOR. Dicam igitur, si vis, crassiore Minerua. Scis serpentium genus inimicum esse homini. IOAN. Scio verum inter illos & nos esse dissidium & irrecōciliabile, futurúmque donec meminerimus inauspicati illius pomi. EPHOR. Nosti lacertā? IOAN. Quidni? EPHOR. Italia magnas habet & virides: hoc animal naturâ & homini amicum est, & serpentibus inimicum. IOAN. Vnde hoc deprehenditur?

Serpentes inimicos esse homini, Lacertas è contrario.

Mira lacertarum sympathia & amicitia cũ hominibus.

EPHOR. Vbicunque prospicit homo, ibi congregantur lacertæ, obliquo capite diu contemplantes hominis faciem: si expuas, lambũt sputũ ore redditum: vidi & puerorum mictum exorbentes. Quin & puerorum manibus tractantur impunè, atque etiam læduntur nonnunquam, & admotæ ori gaudent saliuam lambere. Cæterùm, si comprehensæ committantur inter se, dictu mirum quàm sæuiant in sese, nec tamen appetunt committentem. Si quis in agris ambulet per viam cauam, nunc hinc, nunc illinc strepitu dimoti rubi admonent hominem: insuetus crederet serpẽtem esse, vbi dispexeris, lacertæ sunt obliquato capite contemplantes, donec consistas: si pergas, sequentes rursus aliud agentem admonent: diceres ludere, vehementérque delectari hominis aspectu. IOAN. Mira narras. EPHOR Quodam die vidi prægrandem & mirè viridem in ostio caui decertantem cum serpente. Primùm mirabamur quid esset. Italus admonebat in antro esse hostem: paulò pòst, venit ad nos lacerta velut ostendens sua vulnera ac remedium flagitans, at se tantùm non tangi patiebatur. Quoties autem restabamus, restabat & illa nos contemplans. Serpens alterum latus ei penè erroserat, & ex viridi rubrum fecerat. IOAN. Mihi, si adfuissem, libuisset vlcisci lacertæ vicẽ. EPHOR. At ille iam se in profundũ antrum abdiderat: post aliquot tamen dies pauimus oculos nostros vindicta. IOAN. Gaudeo profecto: sed quo pacto? EPHOR. Fortè inambulabamus per eundem locum: serpens è fonte vicino biberat, erat enim æstus prodigio-

Perniciale odiũ lacertarũ in serpentes.

sus

ſus, adeò vt nos quoque periclitaremur aquæ inopia. Commodùm occurrit ex agro puer natus annos tredecim, vel circiter, eius domus filius in qua tum metu peſtilentiæ ruſticabamur, geſtans raſtrum, quo fœnum demeſſum conuertunt agricolæ. Is, vt ſerpentem vidit, exclamat. IOAN. Metu fortaſſe. EPHOR. Nequaquam, imo gaudio, velut inſultans deprehenſo hoſte: ferit raſtro: ſerpens ſe contrahit, ille non facit feriendi finem, donec contrito capite ſerpens in longum porrigitur: Nam hoc non faciunt niſi mortui. Inde eſt apologus quem frequenter audiſti de cancro, qui ſerpentem hoſpitem occidit: vbi porrectum videt, ſic (inquit) viuum incedere oportuit. IOAN. O factum bene? Quid tum? EPH. Puer arreptum raſtro ſuſpendit è frutice ſupra antrũ: ibi diebus aliquot vidimus frõdes ſanie eius tinctas. Ruris huius agricolæ pro comperto aliud quiddam mirabile nobis referebãt. Ruſtici nonnunquam feſſi obdormiunt in agro, nonnunquã habẽt vrceum lactis, in cibi ſimul & potus vſum: Serpentes ſummopere lacte capiuntur, itaque non raro fit, vt in vas illabãtur: ei malo paratum habent remedium ruſtici. IOAN. Quod, obſecro? EPHOR. Summũ os teſtæ vrcei allio circũlinunt: is odor deterret ſerpentes. IOAN. Quid igitur ſenſit Horatius, cùm ſcriberet allium venenum cicutis nocentius, cum ſit remedium? EPHOR. Sed audi quod eſt durius. Interdũ clãculum adrepentes, in os dormientis patens ſeſe coniiciunt, & in ſtomachum deuoluunt. IOAN. An non protinus exanimatur homo talem na-

Serpẽtes nõ niſi dũ moriuntur in longum porrigi.

Serpẽtes lacte ſummopere delectari, & alliĳ odore deterreri.

ctus hoſpitem? EPHOR. Non, ſed afflictiſſimè viuit: nec eſt vllum mali leuamen, niſi vt lacte, aliíſque ſerpens gratiſſimis cibis alatur hoſpes. IOAN. Nihilne remedii aduerſus tantum malũ? EPHOR. Comeſum affatim allium. IOAN. Nõ mirum igitur, ſi meſſores gaudẽt allio. EPH. Medetur etiam delaſſatis labore & æſtu. Verùm, in hoc diſcrimine non rarò lacerta, quanuis puſilla, ſeruat hominem. IOAN. Quî poteſt? EPH. Vbi ſenſit ſerpentem inſidiari, circũcurſat per collum & faciem hominis, nec finem facit donec pruritu pedum excitetur. Porrò, qui expergiſcitur, conſpecta è propinquo lacerta, mox intelligit hoſtem alicubi eſſe in inſidiis, ac circunſpiciens deprehendit. IOAN. Mira naturæ vis. EPH. Iam nullum eſt animal inimicius homini quàm crocodilus: qui ſæpenumero totos homines deuorat, & arte malitiam adiuuat, aqua hauſta ſemitas lubricans quibus deſcendunt ad Nilum aquam hauſturi, quò lapſos deuoret. Neque te fugit delphinum, etiam in diuerſo elemento natum, φιλάνθρωπον eſſe. IOAN. Audiui fabulam de adamato puero celebrem, celebriorem autem de Arione. EPHOR. Quin & in venatu mugilum piſcatores delphinorum miniſterio, vice canum vtuntur, qui accepta prædæ portiuncula recedunt. In naui verò frequenter nauigantibus apparent gaudio geſtientes, & in ſummis vndis luſitantes: interdum adnantes ad nauim, nonnunquam & tenſa vela tranſilientes: adeò delectantur hominum conſuetudine. Verùm, vt hominum eſt ſtudioſus delphinus, ita crocodilo capi-

A ſerpentiũ inſidiis lacertus tuetur hominem.

Crocodili odium aduerſus homines.

Delphinus hominũ ſtudioſus, cro-

capitalis est hostis. Egreditur mare, & in Nilũ in quo regnat crocodilus audet venire congressurus cum belua, dentibus, vnguibus & squamis, ferro etiam impenetrabilibus, armata, ipse nec ad morsum satis instructus, quippe os habens ad pectus vergẽs: sed impetu fertur in hostem, ac illi iam proximus, repentè submittit se se, erectísque in tergo pinnis mollia ventris proscindit, parte alia inuulnerabili. IOAN. Mirum est quodque animal statim agnoscere hostem suum, etiam nũquam antea visum, sciréque & cur impetatur, & quâ lędi, aut sese tueri possit, quum hoc homini sit negatum: qui ne regulum quidem horreret, nisi & admonitus, malóve doctus. EPH. Aspis homini venenum est immedicabile: cum hac belligeratur ichneumon: idem exitialis hostis crocodilo. Similis affectus est elephantis ergà hominem: nam & viatorẽ simpliciter errantem clementer in viã reducunt, & agnoscũt, amántq; doctorem suum. Feruntur & exempla deuoti amoris erga certos homines. Siquidem vnus adamauit in Ægypto mulierculam corollas vendentem, Aristophani grammatico charã. Alius Menãdrum Syracusanum adolescentem sic amauit, vt desiderium illius quoties non videret, inedia testatus sit. Sed ne hæc, quæ plurima commemorantur, referre pergamus, cùm Bocchus rex in triginta quosdam sæuire decreuisset, eos totidem elephantis obiecit stipibus alligatos. Cúmq; immissi essent qui inter elephantos procursantes eos lacesserent, nunquam efficere potuerunt, vt se regiæ crudelitatis ministros præberent. Atque

[Margin, handwritten: crocodilo hostis ... Mirus affectus el. phã. erga hominem.]

Elephantis bellum exitiale cum draconibus indicis.

huic animanti φιλανθρώπῳ bellum exitiale est cum draconibus Indicis qui feruntur esse maximi, vt frequenter in pugna pereat vterque. Porrò, draco inimicus est homini, etiam non lacessitus. Simile dissidium est aquilæ cum draconibus minoribus, cùm homini illa sit innoxia: imò cùm feratur etiã ignes amatorios sentire erga certas puellas. Eidem aui bellum internecinum est cum Cyminde, id est nocturno accipitre. Elephãtus odit etiam murem animal homini quoque molestũ, eóque abhorret à pabulo in quo murem conspexerit: nec causa liquet cur oderit. Nam hirudinẽ meritò horrẽt elephanti, quòd ea in potu hausta grauissimè discrucientur. Iam vix vllum animal amicius homini quàm canis, nec inimicius quàm lupus, vt quod aspectu quoque vocem adimat: & inter hæc summa discordia est, quemadmodũ ouium generi lupus infestissimus. Quod totum pendet à prouidentia hominum, quorum præcipua cura est tueri animal innoxium, & alẽdo homini natum. In lupum verò, velut in publicum humani generis hostem armantur omnes, præcipuè canum commilitio: quæ res etiam prouerbio fecit locum, non magis parcemus quàm lupis. Lepus marinus immedicabile homini est venenum, si quis imprudens gustauerit: at rursus hominis contactus mors est lepori. Panthera sæua est in hominem, & tamen adeò terretur ab hyæna, vt ne congredi quidem sustineat. Hinc narrãt, si quis quid secum gestet de corio hyęnæ, à panthera non appeti: tam sagax est naturæ sensus. Addunt & illud, si pelles vtriusque beluæ suspen-

Mures elephantis inimicos, et etiam hirudines.

Homo, lupus, canis, & ouis.

Lepus marinus, panthera & hyæna.

ſuſpendas inuicem ex aduerſo, panthericæ pilos defluere. Araneus homini domeſticum eſt animal, exitiale verò ſerpenti: adeò vt fortè conſpicatus ſub arbore ſerpentem apricantem, filo ſe libret, & aculeum mediæ infigat fronti, tam acri vulnere vt ſerpens dolore rotans ſeſe in gyrum, tandem emoriatur. Accepi ab his qui ſpectarunt, ſimile diſſidium eſſe araneo cum bufonibus, ſed bufonem ictum ſibi plãtagine admorſa mederi. Audies fabulam Britannicam. Scis illic conclauium ſolum conſterni ſcirpis virentibus. Monachus quidam faſciculos aliquot ſcirporum in cubiculum congeſſerat, ſparſurus dum eſſet commodũ. Is cùm à prandio ſupinus dormiret, bufo ingens erepſit, & os dormientis obſedit, infixis ſuperno atque inferno labro quatuor pedibus: detrahere bufonem certa mors erat, non amoueri, quiddam erat morte crudelius. Nonnulli ſuaſerunt, vt monachus ad feneſtram deferretur ſupinus, in qua ingens araneus habebat telam. Mox araneus hoſte conſpecto, filo ſe librat & bufoni ſpiculum infigit, tum demum ſe in propriam telam recipit: intumuit bufo, ſed non eſt auulſus. Repetitur ab araneo, magis intumuit, ſed vixit: tertiò ictus abduxit pedes, ac mortuus decidit: hanc gratiam araneus retulit hoſpiti ſuo. IOAN. Mira narras. EPHOR. Addam quod non legi, ſed his oculis ipſe conſpexi: Simius ſupra modum horret teſtudinem: huius rei quidã dedit nobis ſpecimen Romæ. Puero ſuo in verticẽ impoſuit teſtudinem & pileo contexit, dein produxit ad ſimium. Illico ſimius gaudens inſiliit in

Araneus ſerpenti hoſtis exitialis.

Mira de monacho, bufone & araneo.

Simij et teſtudinis hiſtoria pulcherrima.

humeros pueri venaturus pediculos, ſublato pileo reperit teſtudinem: mirum erat ſpectaculū quanto cum horrore reſilierit beſtia, quàm expauerit, quàm timidè reſpexerit an ſequeretur teſtudo. Additū eſt aliud ſpecimen: alligauimus teſtudinem catenæ à qua reuinctus erat ſimius, vt effugere non poſſet, quin ſaltem aſpiceret: incredibile dictu quātopere fuerit diſcruciatus: tātùm nō metu exanimabatur, interdum auerſus poſterioribus pedibus depellere tentauit hærentē beſtiam: tandem quidquid erat in aluo aut veſica oneris deiecit. Sequuta eſt pauore febris, vt nobis fuerit ſoluendus à catena, & aqua vino temperata refocillādus. IOAN. Atqui nihil eſt quòd à teſtudine ſibi metuat ſimius. EPHOR. Fortaſſis aliquid eſt quod nos fugit, naturæ cognitum: Nam cur acanthis oderit aſinum cauſa in promptu eſt, quòd ille ſe affricat ſpinis in quibus nidulatur auicula, & flores eius depaſcitur. IOAN. Sed qua tandem in re acanthis lædit aſinum? EPHOR. Roſtro fodit illius vlcera fuſtibus & oneribus facta, pungit & mollia narium. Poteſt item & aliquid cauſæ diuinari cur inter vulpes & miluios mutua eſt ſimultas: quòd auis rapax alterius catulis inſidietur: Fortaſſe vulpes viciſſim illius pullis: quæ cauſa diſſidij eſt inter ſorices & ardeolas. Eadem ferè ratio eſt inter æſalona paruam auiculam & coruum: nam æſalon oua coruorum frangit: Eadem infeſtatur à vulpibus, & viciſſim illas etiam infeſtat, catulos earum vellicans. Quod vbi viderint corui, vulpibus, velut aduerſus communem hoſtem, ſuppe-

Acanthis auicula, & aſinus.

Vulpes & miluij, ſorices & ardeolæ: æſalon & coruus.

tias

tias ferunt. At vix diuinare liceat, quam ob causam inter se oderint olores & aquilæ, coruus & chlorio, cornix & noctua, aquila & trochilus: nisi hoc malè habet aquilam, quòd ille rex auium vocetur. Cur malè conuenit cum noctua cæteris minoribus auibus, mustelæ cum cornice, turturi cum pyrali, ichneumonibus & vespis cum phalangiis, araneis cũ anatibus & gauiis, harpæ cum triorche accipitre, thoïbus cum leonibus. Præterea, cur sorices formicosam horreant arborem. & inter aquatilia quam ob causam mugil & lepus mutuo odio flagrant, sicut conger & murena caudas inter se prærodentes. Polypum intantum horret locusta piscis, vt si eum iuxtà viderit, metu emoriatur. Sic quædam animantia mirè iungit arcanus quidam beneuolentiæ affectus, veluti pauones columbis, turtures cum psittacis, merulas cum turdis, cornices cum ardeolis, quæ sibi vicissim auxiliantur aduersus vulpium genus, harpam & miluium aduersus triorchyn communem hostem. Balænis musculus piscis exiguus prænatans monstrat viam: nec apparet quam ob rem illi velit inseruire. Nã quòd crocodilus fauces porrigit trochylo auiculæ, amicitia dici non potest: cùm vtrũque animal suo ducatur cõmodo: crocodilus gaudet sibi purgari dẽtes & scabendi voluptatem amplectitur: auicula cibum quærit, vescens piscium reliquiis inter dẽtes hærentibus. Consimili ratione coruus inequitat dorso suis. Inter florum autem & ægithum tam pertinax est odium, vt negẽt sanguinem illorum posse misceri. Quemadmodum narrant aliarum

Quarũdam bestiarum, auium, & piscium odia & antipathiæ.

Quædã animãtia arcano beneuolentiæ affectu iungi.

auium pennas abſumi, ſi aquilinis miſceantur.
Accipiter, co'ūbe, & tinnūculus. Accipiter eſt infeſtus columbino generi, ſed columbas defendit tinnunculus: cuius cōſpectum & vocem miium in modum horret accipiter, nec hoc latet columbas: nam vbicunque tinnunculus reconditus eſt, ab ea ſede non migrant fiducia prorectoris. Quis cauſam coniiciat, cur aut bene velit generi columbino tinnunculus, aut cur tinnunculum horreat accipiter? Atque, vt interdū animalculum minimum præſidio eſt ingenti beluæ, ita cōtra à minutiſſimis exitium eſt maximis.
Piſciculus ſcorpij effigie & thynnus, adhæc leo & gallus gallin. Eſt piſciculus ſcorpij effigie, magnitudine aranei piſcis. Is ſub pinna affigit ſeſe aculeo, thynnis interdum magnitudinem delphini ſuperantibus, tanto dolore, vt nonnunquam in naues inſiliāt: idem facit mugilibus. Quid eſt quòd leo animal cunctis tremendum expaueſcat galli gallinacei cantum? IOAN. Ne ſim in hoc conuiuio prorſus aſymbolus, referam quod his oculis olim vidi in ædibus Thomæ Mori, tunc regni Angliæ Cācellarij, hoc eſt iudicis primarij. Alebat domi ſimiū prægrandem, tum fortè quò reualeſceret à vulnere, ſolutus obambulare ſinebatur. In extremo horti erant incluſi cuniculi quibus inſidiabatur
Pulchra hiſtoria de ſimio, muſtela & cuniculis. muſtela. Id ſimius quietus & ocioſus ſpectabat, donec videret cuniculis nihil eſſe periculi. Cæterùm, poſteaquam muſtela labefactaſſet caueam à muro reuulſam, iámque periculum eſſet ne cuniculi à tergo nudati prædæ eſſent hoſti, accurrit, & conſcenſa trabe quadam caueam retraxit in locum priſtinum, tanta arte, vt homo non poſſet dexteriùs. Ex quo perſpicuū hoc animantium

genus ſimiis eſſe charum. Ipſi cuniculi non intelligebant ſuum periculũ, ſed hoſtẽ per cancellos oſculabantur. Simius opitulatus eſt periclitanti ſimplicitati. EPH. Omnibus catulis minoribus delectantur ſimij, gaudéntque fouere ſinu & complecti. Sed pius ille ſimius dignus erat aliquo pietatis præmio. IOAN. Habuit. EPH. Quod? IOAN. Reperit illic fruſtũ panis, à pueris, vt opinor, proiectũ, id arreptum comedit. EPH. Verùm mihi videtur mirabilius hoc genus συμπαθείας καὶ ἀντιπαθείας, ſic enim Græci vocant amicitiæ & inimicitiæ naturales affectus, etiam in rebus anima aut certè ſenſu carentibus deprehendi. Omitto iam dicere de fraxino, cuius nec vmbram quanuis in longum porrectam ferunt ſerpentes: adeò vt ſi locum in gyrum circundas igni, ſerpens citiùs in flammam eat, quàm ad arborem fugiat. Nam huius generis exẽpla ſunt innumera. Erucæ cum mẽbranis incluſæ, occulto naturæ opificio trãſfigurantur in papiliones, ac mortuis ſimillimæ videntur, nec ad contactum quidem ſeſe mouẽt, niſi tranſeunte araneo: hominis prementis non ſentiunt digitum, & ſentiunt leuiſſimi animantis leuiter incedẽtis pedes: ibi demum viuit. IOAN. Iſti non omnino diſſimile eſt, quod narrant de ferro cæſis, ad quos, ſi cæteri accedant, nihil accidere noui: ſin is qui necauit, cõtinuò profluere ſanguinem velut ex recenti vulnere: Atque hoc indicio ferunt frequẽter proditum cædis autorẽ. EPHOR. Nec eſt vanũ quod audiſti. Sed ne perſequamur fabulas Democriticas, nónne cõperimus experimentis tantùm eſſe diſſenſionis inter

Mirabilis antipathia & odium ſerpentium cũ fraxini vmbra.

Erucæ & araneus.

quercum & oleam, vt vtraque in alterius scrobe polita emoriatur? Quercui autem tam malè cóuenire cum iuglande, vt in propinquo posita extinguatur: tametsi iuglans cunctis propè satis & arboribus noxia est. Rursus cùm vitis clauiculis suis omnia complecti soleat, solam brassicam refugit, & perinde quasi sentiat, in diuersam partem sese vertit. Quid admonet vitem hostem esse in propinquo? Est enim brassicæ succus vino cótrarius, eóque solent edi brassicæ aduersus ebrietatem. Nec illi etiam deest suus hostis: siquidem opposita cyclamino & origano exarescit. Similis affectus est inter cicutam & vinum: cicuta homini venenum est, cicutæ vinum. Oleum soli calci miscetur, cùm vtraque res pariter oderit aquam. Pix oleum attrahit, cùm vtrumque sit pingue. Argento viuo innatant omnia, auro excepto: nam id ad se solùm trahit & complectitur. Quis ille naturæ sensus, vt adamas quamlibet duris resistens, sanguine hircino mollescat? Sed harũ rerum, quæ sunt innumeræ, consideratio ad rei medicæ professores pertinet. Quænam est illa vis vel amicitiæ, vel dissidij inter chalybem & magnetem, vt materia natura grauis ad lapidem currat & inhæreat, velut osculo, & ab eodem citra contactum refugiat? Iam quum aqua se facilè misceat rebus omnibus, maximè sibi, tamen sunt quæ velut odio mutuo mixturam refugiũt: velut amnis qui in Fucinum lacũ inuectus supermeat, in Larium Addua, in Verbanum Ticinus, in Benacum Mincius, in Seuinum Ollius, in Lemanũ Rhodanus: è quibus nõnulli multorum milium transitu

Quercus, olea, iuglans, vitis, & brassica.

Brassica, cyclaminus, origanum, cicuta, vinum, oleũ, calx, argentum viuũ, adamas & hircinus sanguis.

Catalogus aquarum nonnullarũ, quæ mixturam alterarũ refugiunt.

transitu hospitales suas aquas tantùm, nec largiores quàm intulere euehunt. Tigris influit in lacum Arethusam, ac per eum, velut hospes, fertur, sic vt nec color, nec pisces, nec aquarum natura misceatur. Adhæc, cùm cætera ferè flumina properent in mare procurrere, quædam tamen velut exosa mare, priùs quàm eò perueniant, abdunt sese in terram. Simile quiddam videmus & in ventis. Auster homini pestilens est, huic contrarius Boreas salubris: alter nubes cõtrahit, alter dissipat. Iam si qua fides Astrologis, sunt & sideribus quidam amicitiæ & inimicitiæ affectus. Quædam amica homini, quædam infesta. Rursus, sunt quæ homini aduersus nocentium vim opitulantur. Adeò nihil est in vlla naturæ parte quod non per hęc dissidia, concordiásque & noxam & remediũ homini suppeditet. IOAN. Fortasse & vltra cœlos quiddam deprehendere liceat. Etenim si Magis credimus, vnumquemque mortalium duo comitantur genii, alter amicus, alter maleuolus. EPHOR. Nobis, amice, satis est ad cœlum vsque peruenisse, etiam si non hoc quoque septum transiliamus. Redeamus ad boues & equos. IOAN. Næ tu præclarum facis saltum. EPHOR. Illud nobis magis admirandum est. quòd in eadem prorsus animantium specie deprehẽdimus amoris & odij vestigia, nulla euidente causa. Sic enim nobis persuadere conãtur equisones & bubulci, in iisdem pascuis, aut eodem stabulo, bos bouem vnũ, & equus equum gaudet habere vicinum, qui alium non ferat. Equidem arbitror similes esse in omni animantiũ

Sideribus amicitiæ et inimicitiæ affectus quosdã inesse.

In eadem animantiũ specie, amoris & odij vestigia inesse.

genere, præter ſexus fauorem. Sed in nullo genere euidentiùs, quàm in homine: Siquidem in plurimis manifeſtum eſt, quod de ſuo in Voluſium affectu ita profitetur Catullus,

» *Non amo te, Voluſi, nec poſſim dicere quare:*
» *Hoc tantùm poſſum dicere, non amo te.*

Verùm, in adultis fortaſſe diuinet alius aliã cauſam: in pueris qui ſolo naturæ ſenſu ducuntur, quid eſt illud quòd ſic hunc illi tanto amore conciliat, rurſus alium ab hoc tanto diſſidio ſeparet? Ipſe quum puer eſſem natus annos, plus minùs, octo incidi in quẽdam meæ ætatis, aut fortaſſis anno maiorem, prodigioſæ vanitatis: adeò vt ad omnem occaſioné ex tempore mõſtroſa quædam confingeret. Occurrebat mulier, vides, inquit, hác? video: cum hac decies concubui. Tráſibamus ponticulum anguſtum iuxta molam: vbi vidit me horreſcentem ad conſpectum aquæ ob profunditatem nigrantis, in hác, inquit, aquam aliquando prolapſus ſum. Quid ais? Illic reperi cadauer hominis accinctũ crumena, in qua erant annulli tres. Cùm nullus eſſet mentiendi finis, ſic puer horrui puerum illum, vt viperam minùs: nulla certè ratione, cùm talibus mendaciis alij delectarentur, ſed tantùm arcano naturæ ſenſu. Neque verò id fuit temporarium, imò & hodie ſic horreo vanos, vt conſpectis illis ſentiam totum corporis habitum commoueri. Tale quiddam in Achille notat Homerus, cùm profitetur mendaces ſibi æquè odioſos atque ipſas inferorum portas. Hoc ingenio cùm natus ſim, tamen hoc, contrà, fato natus videor, vt per omnem

Mira hiſtoria prodigioſæ vanitatis pueri cuiuſdam.

vitam